



V
B
J
C







E. n. not. Fer wgd.

COLLECTANEA
E PROBATIS
LATINÆ LINGUÆ
SCRIPTORIBUS
AD USUM
SCHOLASTICÆ JUVENTUTIS.



PARS SECUNDA.
PRO SUPREMA CLASSE GRAMMATICES.

VILNÆ,
Ex Typographia S. R. Maj. & Reipublicæ
Scholarum Piarum. A. D. 1761.


Præceptores latinitatis nihil magis laborant, quam ut augeant docendo difficultates, quas in latinam linguam invexerunt multitudine atque involucris regularum, quibus addiſcendis abſumitur tempus longe utilius atque jucundius in vocabulorum explicatione. ac bonorum Auctorum interpretatione traducendum...... Poſtquam autem peritior aliquando quis explicandis Auctoribus evaſerit, opus certis habebit, quibus ducatur, legibus, ut ſi quando imprudenter ab Auctorum conſuetudine aberraverit, memoria præceptorum revocetur.

Gravina *Orat.* I.



VITÆ CLARORUM VIRORUM

EX T. LIVIO. (1)

ROMULUS.

Romulum & Remum Martis ac Rheæ Sylviæ (2) filios, uno partu editos in lucem, antiquitas credidit. Eos cum adhuc in cunis vagirent, à Numitore, materni Patris fratre, ad ripam Tiberis (ut aquis ſuffocarentur, vel necarentur inedia) expoſitos, lupam ubere lactaſſe, magiſter regii pecoris invenit. Fauſtulo fuiſſe nomen ferunt; ab eo ad ſtabula Laurentiæ uxori educandos datos. Quum primum adolevit ætas, nec in ſtabulis, nec ad pecora ſegnes, venando peragrare ſaltus: hinc robore corporibus animisque ſumpto, iam non feras tantum ſubſiſtere, ſed in latrones præda onuſtos impetum facere, paſtoribusq; rapta dividere: & cum his, creſcente in dies iuvenum grege, ſeria ac jo-

(1) *Titus Livius Latinorum Hiſtoricorum facile Princeps, Patavii quinquaginta octo annis ante aeram CHRISTI ortum habuit.*

(2) *Troiana in Aſia Urbe à Græcis expugnata, Aeneas ad littora Italiæ appulit. Poſteritas eius primum* Lavinii, *poſtea* Albæ longæ *imperabat, uſque dum ventum eſſet ad Amulium Sylviæ Patrem, quem Numitor, cum ætate minor eſſet, per iniuriam Regno ſpoliaverat, atque ne ipſe deinceps ſpoliaretur, Sylviæ filios necari præceperat.*

jocos celebrare. A Faustulo genus suum edocti, Numitorem obtruncant, Amulium Matris Patrem avito restituunt solio. Sed ne ipsi absque imperio forent, in iis locis ubi expositi, ubi educati fuerant, urbem condere instituunt. Vulgatior fama est: ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros; inde ab irato interfectum. Ita solus potitus imperio; condita urbs conditoris nomine *Roma* appellata (3) quam, ne vacua incolis esset, asilum cuivis scelesto esse jussit.

Cupidus immortalitatis, quæ sola virtute paratur, rebus divinis rite perpetratis, vocataque ad concilium multitudine, jura dedit, quæ ita sancta generi hominum agresti fore ratus, si se ipsum venerabilem insignibus fecisset imperii. Quum cætero habitu se augustiorem, tum maxime lictoribus (4) duodecim sumptis fecit.

Jamque res Romana adeo erat valida, ut cuilibet finitimarum civitatum bello par esset, sed penuria mulierum hominis ætatem duratura magnitudo

(3) *Anno ante* CHRISTUM 751 *a Mundo condito* 3252.

(4) *Lictores erant servi publici, qui magistratum, fasciculum virgarum cum inserta secure manu gestantes, præcedebant. Postquam autem bello secundo Punico, quod cœperat Anno ab Urbe condita* 514. *Calabria Regni Neapolitani Provincia in partes Annibalis descivisset, Senatus Consulto cautum erat, ne munus Lictorum aliis præter Calabros obire liceret. Cardinalis Bellarminus, & eum sequutus Sandinius probant legem hanc extra Italiam non obtinuisse, ac proinde Calabros in* CHRISTI *Domini passione non fuisse tortores,*

gnitudo videbatur, quippe quibus nec domi ſpes prolis, nec cum finitimis connubia eſſent. Nusquam benigne cum audiretur Romulus, ludos ex induſtria parat, Neptuno equeſtri ſolennes, *Conſualia* vocat. Huc Sabinorum omnis multitudo cum liberis ac coniugibus venit. Signo dato, iuventus Romana ad rapiendas virgines diſcurrit. Ipſe Romulus circuit, atque eas, ut mollirent modo iras, & quibus ſors corpora dediſſet, darent animos, adhortatur. Sabini indignantes non prius bellum indicunt, quam inferunt, qui tamen funduntur, & mulierum precibus adducti pacis conditiones accipiunt; eorumque Rex Tatius in conſortium imperii admittitur: at non multo poſt vita excedit. Brevi & Fidenates, & Veientes, & Ceninenſes, & Antemnates, & Cruſtumini vincuntur.

Omnem populum in tres diviſit *Tribus*, tribum vero quamlibet in decem *Curias*. Ex his centum elegit ſeniores prudentioresque, quorum iudicio & conſilio ſingula peragerentur. Ii ob ætatem *Patres*, *Patricii* & *Senatores* dicti. Legit quoque tres militum centurias, quarum nomina ſunt: *Ramnenſis*, *Tatienſis*, & *Lucerenſis*, iuxta nomina Tribuum quos perpetuos ſui cuſtodes corporis eſſe iuſſit. Hi in univerſum *Celeres* appellabantur, ſeu a Fabio Celere, qui iis primus præerat, ſeu quod celeriter juſſa Regis exequi deberent.

His editis operibus, cum ad *Capreæ paludem* concionem haberet, ſubito coorta tempeſtas cum magno fragore tonitribuſque tam denſo eum operuit nimbo, ut a conſpectu concionis abſtulerit, nec deinde in terris fuit, ſed diuinos ſub nomine Quirini ſortitus eſt honores. Neque tamen abfuerunt, qui eum Patrum manibus diſcer-

ptum fuiſſe crediderint. Vixit 55. annis, e quibus 37. regno impendit adminiſtrando.

NUMA POMPILIUS.

Inclyta iuſtitia religioque Romulo mortuo Numæ Pompilii erat. Curibus Sabinis habitabat conſultiſſimus vir, ut in illa quiſquam ætate eſſe poterat, omnis divini atque humani juris. Auctorem doctrinæ eius, quia non exſtat alius, falſo Samium (1) Pythagoram edunt: quem Servio Tullio regnante Romæ, centum amplius poſt annos, in ultima Italiæ ora circa Metapontum Heracleamque & Crotonem iuvenum æmulantium ſtudia cœtus habuiſſe conſtat. Suopte igitur ingenio temperatum animum virtutibus fuiſſe opinor magis; inſtructumque non tam peregrinis artibus, quam diſciplina tetrica ac triſti veterum Sabinorum: quo genere nullum quondam incorruptius fuit. Audito nomine Numæ Patres Romani, quanquam inclinari opes ad Sabinos, Rege inde ſumpto, videbantur: tamen neque ſe quiſquam, nec factionis ſuæ alium, nec denique Patrum aut civium quenquam præferre illi viro auſi, ad unum omnes Numæ Pompilio regnum deferendum decernunt. De ſe Numa deos conſuli iuſſit: inde eum augur in arcem deduxit, & regiones (2) ab oriente ad occaſum determinavit: dextra in capite Numæ impoſita, precatus eſt ita: *Jupiter Pater, ſi eſt fas hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, Regem Romæ eſſe, ut tua ſigna nobis certa ac clara ſint inter*

(1) *Inſula Samos in mari Aegeo quod nunc Archipelagus dicitur, ſita eſt.*

(2) *Ab auguribus partes coeli determinabantur, in quibus ſigna oſtendi volebant.*

inter eos fines, quos feci. Tum peregit auſpicia quibus miſſis, declaratus rex Numa de templo deſcendit. Qui regno ita potitus, urbem novam conditam vi & armis, iure ac moribus de integro condere parat. Quibus quum inter bella adſueſcere videret non poſſe (quippe efferatis militia animis) mitigandum ferocem populum armorum deſuetudine ratus, Janum (3) ad infimum Argiletum indicem pacis, bellique fecit: apertus, ut in armis eſſe civitatem: clauſus, pacatos circa omnes populos ſignificaret. Ne autem luxuriarentur otio animi, quos metus hoſtium, diſciplinaque militaris continuerat; omnium primum rem, ad multitudinem imperitam, & illis ſeculis rudem, efficaciſſimam, Deorum metum injiciendum ratus eſt, qui cum deſcendere ad animos ſine aliquo commento miraculi non poſſet; ſimulat ſibi cum Dea Ægeria congreſſus nocturnos eſſe: eius ſe monitu, quæ acceptiſſima diis eſſent, ſacra inſtituere: ſacerdotes ſuos cuique deorum præficere. Atque omnium primum ad curſum lunæ in duodecim menſes deſcribit annum. Item nefaſtos dies faſtoſque fecit; quia aliquando

(3) *Templum Jani cum ſimulacro bicipiti, quod à tergo os oculoſque haberet, ad denotandam diligentiam & perſpicacitatem in bello neceſſariam. Tanto temporis intervallo ter nonniſi templum hoc clauſum fuerat:* primum *toto Numæ regimine,* alterum *T. Manlio Torquato & C. Attilio Balbo Conſulibus finito primo bello Punico Anno Urbis conditæ* 517. *ante CHRISTUM natum* 236. tertium *ſub Auguſto Imperatore poſt pugnam Actiacam, naſcente CHRISTO ſervatore noſtro.*

do nihil cum populo agi utile futurum erat. Tum sacerdotibus creandis animum adiecit: quanquam ipse plurima sacra obibat, ea maxime quæ nunc ad Dialem (4) flaminem pertinent; flaminem Jovi assiduum sacerdotem creavit; insignique eum veste & curuli regia sella adornavit: huic duos flamines adiecit, Marti unum, alterum Quirino, virginesque Vestæ legit. Pontificem deinde Numam Marcium Marci filium ex patribus legit, eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit; quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. Multa sacrificia, locaque sacris faciendis, quæ Argeos Pontifices vocant, dedicavit. Omnium tamen maximum eius operum fuit, tutela per omne regni tempus haud minor pacis, quam regni. Ita duo deinceps Reges, alius alia via, ille bello, hic pace civitatem auxerunt. Regnavit annos tres & quadraginta.

TVLLVS HOSTILIUS.

Numæ morte ad interregnum res rediit. Inde Tullum Hostilium nepotem Hostilii, cuius in infima arce clara pugna adversus Sabinos fuerat, Regem populus iussit: Patres auctores facti. Hic non solum proximo Regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulo fuit: tum ætas viresque; tum avita quoque gloria animum stimulabat. Senescere igitur civitatem otio ratus, undique mate-

(4) Flamines *dicti quasi* filamines: *nam cum per æstatem pileos gestare incommodum esset, quos ob auctoritatem sacerdoti deponere nunquam licebat, filo caput cingebant. Est autem* Flamen Dialis *idem qui & Iovis*, Dis *enim Græcis* Jovem *significat.*

materiam excitandi belli quærebat. Forte evenit, ut agreſtes Romani ex Albano agro, Albani ex Romano prædas invicem agerent. Legatis Albanorum Tullus dicendi poteſtatem, qui petentes venerunt, facit; illi omnium ignari primum purgando terunt tempus: *ſe invitos quicquam, quod minus placeat Tullo, dicturos, ſed imperio ſubigi: res repetitum ſe veniſſe: ni reddantur, bellum indicere iuſſos.* Ad hæc Tullus: *Nunciate,* inquit, *Regi veſtro: Regem Romanum Deos facere teſtes, uter prius populus res repetentes legatos aſpernatus dimiſerit, ut in eum omnes expetant huiuſce clades belli.* Hæc nunciant domum Regis Albani. Et bellum utrinque ſumma opera parabatur, civili ſimillimum bello, prope inter parentes (1) natosque. Albani cum parum bello proficerent, (2) Tullus in eorum concione ita infit: *Quod bonum, fauſtum, felixque ſit populo Romano, ac mihi vobisque Albani, populum omnem Albanum Romam traducere in animo eſt: civitatem* (3) *dare plebi, primores in Patres legere; unam urbem, unam Remp. facere; ut ex uno quondam in duos populos diviſa Albana res eſt, ſic nunc in unum redeat.* Ad hæc Albana pubes inermis, ab armatis ſepta in variis voluntatibus, communi tamen metu cogente, ſilentium tenet. Inter hæc iam præmiſſi Albam erant equites, qui multitudinem traducerent Romam: legiones deinde ductæ ad diruendam urbem, quæ ubi intravere portas; non quidem

(1) *Quia Romani ab Albanis originem traxerant, ut in vita Romuli vidimus.*
(2) *Cum prœlio ſuperati eſſet.*
(3) *Plebi Albanæ ius civitatis Romanæ concedere.*

dem fuit tumultus ille, nec pavor, qualis captarum esse urbium solet; sed silentium triste, ac tacita mæstitia ita defixit omnium animos, ut præ metu obliti quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio, rogitantesque alii alios, nunc in limitibus starent, nunc errabundi domos suas, ultimum illas visuri, pervagarentur. Vt vero iam equitum clamor exire iubentium instabat; iam fragor tectorum, quæ diruebantur, ultimis urbis partibus audiebatur, pulvisque ex distantibus locis ortus, velut nube inducta omnia impleverat: raptim quibus quisque poterat elatis, quum larem ac penates, tectaque, in quibus natus quisque educatusque esset, relinquentes exirent: iam continens agmen migrantium impleverunt vias: & conspectus aliorum mutua miseratione ciebat lacrymas: vocesque etiam miserabiles exaudiebantur, mulierum præcipue, quum obsessa ab armatis templa augusta præterirent, ac velut captos relinquerent deos. Egressis urbem Albanis, Romanus publica privataque omnia tecta adæquat solo, unaque hora quadringentorum annorum opus, quibus Alba steterat, excidio ac ruinis dedit, templis tamen deum, (ita enim edictum ab Rege fuerat) pepercit. Roma interim crescit Albæ ruinis: duplicatur civium numerus, Cœlius additur urbi mons, & quo frequentius habitaretur, eam sedem Tullus regiæ capit, ibique deinde habitavit. Haud ita multo post cum in monte Albano lapidibus pluisset. pestilentia laboratum est: unde cum pigritia militandi oriretur: nulla tamen ab armis quies dabatur ab bellicoso Rege; salubriora etiam credente militiæ quam domi iuvenum corpora esse, donec ipse quoque longinquo morbo est implicitus: tunc adeo fracti simul cum corpore sunt spi-

ſpiritus illi feroces, ut qui nihil ante ratus eſſet minus regium, quam ſacris dedere animum, repente omnibus magnis, parvisque ſuperſtitionibus obnoxius degeret, religionibusque etiam populum impleret. Ipſum Regem tradunt, volventem commentarios Numæ, quum ibi quædam occulta ſolennia ſacrificia Jovi Elicio facta inveniſſet, operatum his ſacris ſe abdidiſſe: ſed non rite initum, aut curatum id ſacrum eſſe; nec ſolum nullam ei oblatam cœleſtium ſpeciem, ſed ira Jovis ſolicitati prava religione fulmine ictum cum domo conflagraſſe, Tullus magna gloria belli regnavit annos duos & triginta.

ANCVS MARTIVS.

Numæ Pompilii Regis nepos, filia ortus Ancus Martius erat; qui ut regnare cœpit, & civibus otii cupidis, & finitimis civitatibus facta ſpes, in avi mores atque inſtituta eum abiturum. Igitur Latini, cum quibus, Tullo regnante, ictum fœdus erat, ſuſtulerant animos: & quum incurſionem in agrum Romanum feciſſent, repetentibus res Romanis ſuperbe reſponſum reddunt: deſidem Romanum Regem inter ſacella, & aras acturum eſſe regnum rati. Ancus demandata cura ſacrorum flaminibus, ſacerdotibusque aliis, exercitu novo conſcripto, profectus Politorium urbem Latinorum vi cepit: ſecutusque morem Regum priorum, qui rem Romanam auxerant hoſtibus in civitatem acceptis, multitudinem omnem Romam traduxit: & quum Palatinum veteres Romani, Sabini Capitolium atque arcem, Cœlium montem Albani impleſſent; Aventinum novæ multitudini datum. Janiculum quoque adiectum, non inopia loci, ſed nequando ea arx hoſtium eſſet. Id non muro ſolum, ſed etiam,

ob commoditatem itineris ponte, tum primum in Tiberi facto, coniungi urbi placuit. Ingenti incremento rebus auctis, quum in tanta multitudine hominum, facinora clandestina fierent, carcer ad terrorem increscentis audaciæ media urbe, imminens foro, ædificatur. Regnavit Ancus annos quatuor & viginti, cuilibet superiorum Regum belli pacisque & artibus & gloria par.

TARQVINIVS PRISCUS.

Anco regnante, Lucumo vir impiger, ac divitiis potens Romam commigravit, cupidine maxime ac spe magni honoris, cuius adipiscendi Tarquiniis (nam ibi quoque peregrina stirpe oriundus erat) facultas non fuerat. Damarati (1) Corinthii filius erat. Ducta in matrimonium Tanaquil, Romam proficiscitur. Ad Janiculum forte ventum erat: ibi ei carpento sedenti cum uxore, aquila suspensis demissa leniter alis, pileum aufert: superque carpentum cum magno clangore volitans, rursus velut ministerio divinitus missa, capiti apte reponit: inde sublimis abiit. Accepisse id augurium læta dicitur Tanaquil, perita, ut vulgo Etrusci, cœlestium prodigiorum mulier: excelsa & alta sperare complexa virum iubet: *eam alitem ea regione cœli & eius Dei nuntiam venisse, circa summum culmen hominis auspicium fecisse, levasse humano superpositum capiti decus, ut divinitus eidem redderet.* Has spes cogitationesque secum portantes, urbem ingressi sunt, domicilioque ibi comparato, L. Tarquinium Priscum edidere. Mortuo Anco

(1) *Corinthus Urbs Græciæ in isthmo sita, qui Peloponesum iungit cum Boeotia.*

Anco, filiorum, qui prope puberem ætatem erant, tutor Tarquinius Regis teſtamento inſtitutus, inſtare, ut quam primum comitia Regi creando fierent; quibus indictis ſub tempus pueros venatum ablegavit: isque primus & petiſſe ambitioſe regnum, & orationem dicitur habuiſſe ad plebis conciliandos animos compoſitam. Scientiam iuris, obſequium in Regem, & benignitatem ſuam commemorantem ingenti conſenſu populus Romanus regnare iuſſit. Ergo virum cetera egregium, ſecuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem ambitio eſt: nec minus regni ſui firmandi, quam augendæ Reip. memor, centum in Patres legit, qui deinde *minorum gentium* ſunt appellati: factio haud dubia Regis, cuius beneficio in curiam venerant. Bellum primum cum Latinis geſſit, & oppidum ibi Appiolas vi cepit: Prædaque inde maiore, quam quanta belli fama fuerat, revecta, ludos opulentius iuſtructiusque, quam priores Reges, fecit. Deinde cum Romani adverſus Sabinos bellum pararent, Tarquinius equitem maxime ſuis deeſſe viribus ratus, ad Ramnenſes, Titienſes, Luceres, quas centurias Romulus ſcripſerat, addere alias conſtituit, ſuoque inſignes relinquere nomine: Id quia augurato Romulus fecerat, negare Accius Navius inclytus ea tempeſtate augur, neque mutari, neque novum conſtitui, niſi aves addixiſſent, poſſe: ex eo ira Regi mota, eludensque artem (ut ferunt) *Agedum*, inquit, *divine tu, augura, fierine poſſit, quod nunc ego mente concipio.* Quum ille in augurio rem expertus, profecto futuram dixiſſet; *Atqui hæc animo agitavi*, inquit, *te novacula cotem diſciſſurum, cape hæc & perage, quod aves tuæ fieri poſſe portendunt*: tum illum haud cunctanter diſcidiſſe cotem

tem ferunt. Quo facto auguriis certe ſacerdotioque augurum tantus honos acceſſit, ut nihil belli domique poſtea, niſi auſpicato gereretur. Duo de quadrageſimo (2) ferme anno, ex quo regnare cœperat Tarquinius, ab Anci filiis duobus ei inſidiæ parantur. Ex paſtoribns duo ferociſſimi delecti ad facinus, quibus conſueti erant uterque agreſtibus ferramentis, in veſtibulo regiæ quam potuere tumultuoſiſſime, ſpecie rixæ in ſe omnes apparitores regios convertunt, inde quum ambo Regem appellarent, clamorque eorum penitus in regiam perveniſſet, vocati ad Regem pergunt; primo uterque vociferari, & certatim alter alteri obſtrepere; Coerciti ab lictore, & iuſſi invicem dicere: tandem obloqui deſiſtunt: unus rem ex compoſito orditur: dum intentus in eum ſe Rex totus averteret, alter elatam ſecurim in caput deiecit; relictoque in vulnere telo, ambo ſe foras ejiciunt. Tarquinium moribundum quum, qui circa erant, excepiſſent, illos fugientes lictores comprehendunt; Rex autem paullo poſt exſpirat.

SERVIVS TVLLIVS.

Tarquinii ætate in regia prodigium viſu eventuque mirabile fuit: puero dormienti, cui Servio Tullio nomen fuit, caput arſiſſe ferunt multorum in conſpectu: plurimo igitur clamore inde ad tantæ rei miraculum orto, excitum Regem: & quum quidam familiarium aquam ad reſtinguendum ferret, ab Regina retentum: ſedatoque iam tumultu, moveri vetuiſſe puerum, donec

(2) *Trigeſimo octavo: ſic duodeviginti idem quod octodecem, undeviginti idem quod novemdecem.*

nec suâ sponte experrectus esset: mox cum somno & flamam abiisse. Tum abducto in secretum viro Tanaquil: *videsne tu puerum hunc*, inquit, *quem tam humili cultu educamus? scire licet, hunc lumen quondam rebus nostris dubiis futurum, præsidiumque regiæ afflictæ, proinde materiem ingentis publice privatimque decoris omni indulgentia nostra nutriamus*. Inde puerum filii loco cœptum haberi, erudirique artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. Evenit facile, quod dis cordi esset: iuvenis evasit vere indolis regiæ: nec quum quæreretur gener Tarquinio, quisquam Romanæ iuventutis ulla arte conferri potuit, filiamque ei suam Rex despondit. Postero tempore Servius per aliquot dies, quum iam exspirasset Tarquinius, celata morte suas opes firmavit: tum demum palam facta ex comploratione in regia orta, Servius præsidio firmo munitus, primus iniussu populi, voluntate Patrum regnavit. Peropportune ad præsentis quietem status bellum cum Veientibus (iam enim induciæ exierant) aliisque Etruscis sumptum. In eo bello & virtus & fortuna enituit Tullii: fusoque ingenti hostium exercitu haud dubius Rex, seu Patrum, seu plebis animos periclitaretur, Romam rediit, aggrediturque inde pacis longe maximum opus: ut quemadmodum Numa divini auctor iuris fuisset, ita Servium conditorem omnis in civitate discriminis, ordinumque, quibus inter gradus dignitatis fortunæque aliquid interlucet, posteris fama ferret. Censum enim instituit, (1) rem saluberrimam tanto futuro imperio. Servius, quanquam iam usu

(1) *Iam tunc octoginta millia virorum in Urbe fuerant, qui arma portarint.*

usu haud dubie regnum possederat, tamen quia interdum iactari voces a iuvene Tarquinio audiebat, *se iniussu populi regnare*, conciliata prius voluntate plebis agro capto ex hostibus viritim diviso, ausus est ferre ad populum; *vellent, iuberentne se regnare,?* tantoque consensu, quanto haud quisquam alius ante, Rex est declaratus. Neque ea res Tarquinio spem affectandi regni minuit: immo eo impensius quia de agro plebis adversum Patrum voluntatem senserat agi, criminandi Servii apud Patres, crescendique in curia sibi occasionem datam ratus est. Tandem moræ impatiens Regem se proclamavit: & cum multo & ætate & viribus validior esset, medium arripuit Servium, elatumque e curia deorsum per gradus deiecit. Fit fuga Regis apparitorum, ipseque Servius semianimis domum revertens, cum ad vicum Cyprium pervenisset, interficitur. Tarquinii uxor Tullia, quæ Servii filia fuerat, postquam maritum Regem salutasset, per summam impietatem paternum carpento conculcavit cadaver. Inde nomen vico *scelerato* inditum. Servius Tullius regnavit annos quatuor & quadraginta, tantoque maius sui reliquit desiderium, quanto nequiorem habuit successorem.

LVCIVS TARQVINIVS.

Lucius Tarquinius, Prisci Tarquinii Regis filius neposve fuerit, parum liquet: Servio interfecto regnare occœpit, cui (1) *Superbo* cognomen facta indiderunt, quia socerum à se occisum gener sepultura prohibuit, *Romulum quoque insepultum perisse* dictitans: primoresque Patrum, quos

(1) Superbus *apud antiquos non elatum & arrogantem, sed impium & scelestum significabat.*

quos Servii rebus faviſſe credebat, interfecit: conſcius deinde male quærendi regni ab ſe ipſo adverſus ſe exemplum capi poſſe, armatis corpus circumſepſit: neque enim ad ius regni quidquam præter vim habebat: ut qui neque populi iuſſu, neque auctoribus Patribus regnaret: eo accedebat, ut in caritate civium nihil ſpei reponenti metu tutandum eſſet: quem ut pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum ſine conſiliis per ſe ſolus exercebat: perque eam cauſſam occidere, in exilium agere, bonis mulctare poterat; non ſuſpectos modo aut inviſos, ſed unde nihil aliud quam prædam ſperare poſſet. Ita Patrum præcipue numero imminuto, ſtatuit nullos in Patres legere, quo contemptior paucitate ipſa ordo eſſet, minusque per ſe nihil agi, indignarentur. Hic enim Regum primus traditum a prioribus morem de omnibus Senatum conſulendi ſolvit: domeſticis conſiliis Remp. adminiſtravit: bellum, pacem, fœdera, ſocietates per ſe ipſe cum quibus voluit, iniuſſu populi ac Senatus fecit, diremitque. Latinorum ſibi maxime gentem conciliabat, ut peregrinis quoque opibus tutior inter cives eſſet: neque hoſpitia modo cum primoribus eorum, ſed affinitates quoque iungebat. Octavio Mamilio Tuſculano filiam nuptum dat, perque eas nuptias multos ſibi cognatos amicosque eius conciliat. Filius eius Sextus Tarquinius cum Lucretiæ contumeliam intuliſſet, Romæ factus eſt tumultus, & Tarquinio patri Romam ad comprimendos motus venienti clauſæ portæ, exiliumque indictum; exacti ex caſtris liberi Regis; duo patrem ſecuti ſunt, qui exulatum Cære in Etruſcos ierunt. Hic L. Tarquinius Superbus regnavit annos quinque & viginti.

JV-

JUNIVS BRVTVS Conſ.

A Tarquinio ſuperbo duo filii Titus & Aruns Delphos ad maxime inclytum in terris oraculum ſunt miſſi: comes his additus L. Junius Brutus Tarquinia ſorore Regis natus, iuvenis longe alius ingenio, quam cuius ſimulationem induerat. Is cum primores civitatis (in quibus fratrem ſuum) ab avunculo interfectos audiſſet; neque in animo ſuo quidquam Regi timendum, neque in fortuna concupiſcendum relinquere ſtatuit: contemptu tutus eſſe, ubi in iure parum præſidii eſſet. Ergo ex induſtria factus ad imitationem ſtultitiæ, quum ſe ſuaque prædæ eſſe Regi ſineret, Bruti quoque haud abnuit cognomen: ut ſub eius obtentu cognominis, liberator ille populi Romani, animus latens aperiretur tempore ſuo. Is tum ab Tarquiniis ductus Delphos, ludibrium verius, quam comes, aureum baculum incluſum corneo cavato ad id baculo tuliſſe donum Apollini dicitur, per ambages effigiem ingenii ſui. Quo poſtquam ventum eſt, perfectis Patris mandatis, cupido inceſſit animos iuvenum ſciſcitandi *ad quem eorum regnum Romanum eſſet perventurum*: ex infimo ſpecu vocem redditam ferunt: *Imperium ſummum Romæ habebit, qui veſtrum primus, o iuvenes, oſculum matri tulerit.* Tarquinii, ut Sextus, qui Romæ relictus fuerat, ignarus reſponſi, experſque imperii eſſet, rem ſumma ope taceri iubent; ipſi inter ſe, uter prior, quum Romam rediſſet, matri oſculum daret, ſorti permittunt. Brutus alio ratus ſpectare Pythicam vocem, velut ſi prolapſus cecidiſſet, terram oſculo contigit; ſcilicet quod ea communis mater omnium mortalium eſſet. Poſtea cum Lucretia, cultro

finii-

finiſſet vitam, Brutus, patre illius & viro, propinquisque luctu occupatis, cultrum ex vulnere extractum, manantem cruore præ ſe tenens: *Per hunc* inquit, *caſtiſſimum, ante regiam iniuriam, ſanguinem iuro, vosque Dii teſtes facio, me L. Tarquinium ſuperbum cum ſcelerata coniuge, & omni liberorum ſtirpe, ferro, igni, quacunque dehinc vi poſſim, executurum: nec illos, nec alium quemquam regnare paſſurum.* Cultrum deinde Collatino tradit inde Lucretio ac Valerio, ſtupentibus miraculo rei unde novum in Bruti pectore ingenium, omnes ut præceptum erat, iurant: totique ab luctu verſi in iram, Brutum iam inde ad expugnandum Regnum vocantem ſequuntur ducem. Tarquinius ſuperbus cum uxore & liberis exulatum ire iubetur. Regnatum Romæ ab condita urbe ad liberatam annos CCXLIV. Duo Conſules inde comitiis centuriatis (1) a præfecto urbis ex commentariis Servii Tulli creati ſunt, L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus. Brutus ex Senatus conſulto cum Tarquiniorum etiam nomen inviſum civitati eſſet, ad populum tulit, ut omnes Tarquiniæ gentis exules eſſent. Collegam ſibi comitiis centuriatis creavit P. Valerium, quo adiutore Reges reiecerat. Tarquinius ſuperbus interim conſpirat cum nobiliſſimis Romæ iuvenibus (in quibus duo filii Bruti fuerant, quos ob id Pater mortis damnavit ſupplicio, quamvis à populo abſolverentur) & poſtea bellum aperte molitur ſollicitans Etruſcos, Veientes, Tar-

(1) *Servius Tullius omnem populum in 193. centurias partitus eſt. Centuriata itaque erant comitia, ſi quælibet centuria ſuum dediſſet ſuffragium.*

Tarquinienſesque. Poſtquam in agrum Romanum ventum eſt, obviam hoſti Conſules eunt. Valerius quadrato agmine peditem ducit: Brutus ad explorandum cum equitatu anteceſſit. Eodem modo primus eques hoſtium agminis fuit: præerat Aruns Tarquinius filius Regis: Rex ipſe cum legionibus ſequebatur. Aruns ubi ex lictoribus procul Conſulem eſſe: deinde jam propius, ac certius facie quoque Brutum cognovit, inflammatus ira: *ille eſt vir*, inquit, *qui nos extorres expulit patria: ipſe en ille noſtris decoratus inſignibus, magnifice incedit. Dii Regum ultores adeſte.* Concitat calcaribus equum atque in ipſum infeſtus Conſulem dirigit: ſenſit in ſe iri Brutus: decorum erat tum ipſis capeſſere pugnam ducibus; avide itaque ſe certamini offert: adeoque infeſtis animis concurrerunt; neuter dum hoſtem vulneraret, ſui protegendi corporis memor, ut contrario ictu per parmam uterque transfixus, duabus hærentes haſtis moribundi ex equis lapſi ſint: ſimul & cætera equeſtris pugna cœpit, neque ita multo poſt & pedites ſuperveniunt. Inde abiere Romani ut victores, Etruſci pro victis. Nam poſtquam illuxit, nec quisquam hoſtium in conſpectu erat. P. Valerius Conſul ſpolia legit, triumphansque inde Romam rediit: collegæ funus, quanto tum potuit apparatu fecit: ſed multo maius morti decus publica fuit mœſtitia, eo ante omnia inſignis, quia matronæ annum, ut parentem, eum luxerunt, quod tam acer ultor violatæ pudicitiæ fuiſſet.

MENENIVS AGRIPPA.

Romæ cum a Patribus plebs ſeceſſiſſet, nec revocari poſſet, placuit Oratorem ad eam mitti Me-

Menenium Agrippam, facundum virum, & quod inde oriundus (1) erat, plebi carum: is intromiſſus in caſtra, priſco illo dicendi & inculto modo nihil aliud quam hoc narraſſe fertur: *Tempore quo in homine non ut nunc omnia in unum conſentiebant ſed ſingulis membris ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fuerat, indignatas reliquas partes, ſua cura, ſuo labore ac miniſterio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietum nihil aliud, quam datis voluptatibus frui: conſpiraſſe inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent: hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipſa una membra, totumque corpus ad extremam tabem veniſſe: inde apparuiſſe, ventris quoque haud ſegne miniſterium eſſe: nec magis ali, quam alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus vigemusque, diviſum pariter in venas maturum confecto cibo ſanguinem.* Comparando hinc, quam inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet iræ plebis in Patres, flexiſſe mentes hominum. Agi deinde de concordia cœptum, conceſſumque in conditiones, *ut plebi ſui magiſtratus eſſent ſacroſancti, quibus auxilii latio adverſus Conſules eſſet: neve cui Patrum capere eum magiſtratum liceret:* ita Tribuni plebeii (2) creati duo, C. Licinius, & L. Albinus. Poſtea eodem anno, quo Volſci a Romanis fuſi erant, Agrippa Menenius moritur, vir omni vita pariter Patribus ac plebi carus, poſt ſeceſſionem carior plebi factus.

(1) *Ex plebe non ex Patritiis.*

(2) *Anno ab urbe condita 261. Tribunorum maxima poteſtas erat, nam unico verbo* Veto *vel prolato vel ad fores curiæ affixo, impedire poterat quidquid a Senatu decerneretur.*

ctus. Huic interpreti arbitroque concordiæ civium, legato Patrum ad plebem, reductori plebis Romanæ in urbem, sumptus funeri defuit: extulit eum plebs sextantibus (3) collatis in capita,

C. MARCIVS CORIOLANVS.

Romanis cum Volscis bellum gerentibus in castris, inter primores iuvenum C. Marcius adolescens & consilio & manu promptus, cui cognomen postea Coriolanus fuit. Eius opera Corioli oppidum Volscorum captum. Postea cum & foris quieta omnia essent, & domi sanata discordia, aliud multo gravius malum civitatem invasit, caritas primum annonæ ex incultis per secessionem plebis agris: fames deinde qualis clausis (1) solet: ventumque ad interitum servitiorum utique & plebis esset, ni Consules providissent, dimissis passim ad frumentum coemendum. M. Minutio deinde & A. Sempronio Consulibus, magna vis frumenti ex Sicilia advecta: agitatumque in Senatu. *quanti plebi daretur.* Multi venisse tempus præmendæ plebis putabant, recuperandique iura, quæ extorta secessione ac vi Patribus essent. Inprimis Marcius Coriolanus hostis Tribunitiæ potestatis. *Si annonam*, inquit, *veterem volunt, ius pristinum reddant Patribus: utantur annona, quam furore suo fecere.* Senatui nimis atrox visa sententia est, & ira plebem prope armavit. Coriolanus damnatus in Volscos exulatum abiit, minitans Patriæ, hostilesque iam tum spiritus gerens. Vol-

(3) Sextans *est sexta pars rei cuiuspiam; hic vero sextam partem assis significat.*

(1) *Volsci enim diu urbem obsederant.*

Volscorum auxilio multa Romanis oppida adimit, populatur agrum Romanum, custodibus inter populatores missis, qui Patritiorum agros intactos servarent: sive infensus plebi magis, sive ut discordia inde inter Patres plebemque oriretur. Postquam apparuit labare plebis animos, missique de pace ad Marcium Oratores, atrox responsum retulerunt: *Si Volscis ager redderetur, posse agi de pace; si præda belli per otium frui velint, memorem se & civium iniuriæ & hospitum beneficii, annisurum, ut appareat exilio sibi irritatos, non fractos animos esse.* Iterum deinde iidem missi, non recipiuntur in castra: sacerdotes quoque suis insignibus velatos isse supplices ad castra hostium traditum est, nihilo magis quam legatos flexisse animum. Tum matronæ ad Veturiam matrem Coriolani, Volumniamque uxorem frequentes coeunt: ut & Veturia & Volumnia duos parvos ex Marcio ferens filios secum in castra hostium irent: & quam armis viri defendere urbem non possent, mulieres precibus lacrymisque defenderent. Vbi ad castra ventum est, nuntiatumque Coriolano, *adesse ingens mulierum agmen:* primo, ut qui nec publica maiestate in legatis, nec in sacerdotibus tanta obfusa oculis animoque religione motus esset: multo obstinatior adversus lacrymas muliebres erat, deinde familiarium quidam, qui insignem mœstitia inter cæteras cognoverat Veturiam, inter nurum nepotesque stantem: *Nisi me frustantur*, inquit, *oculi, mater tibi coniunxque & liberi adsunt.* Coriolanus prope ut amens, consternatusque ab sede sua, quum ferret matri obviæ complexum: mulier in iram ex precibus versa: *Sine, priusquam complexum accipio, sciam*, inquit, *ad hostem, an ad filium ve-*

nerim: captiva, materve in castris tuis sim; in hoc me longa vita & infelix senecta traxit, ut exulem te, deinde hostem viderem? potuisti populari hanc terram, quæ te genuit atque aluit? non tibi quamvis infesto animo & minaci perveneras, ingredienti fines ira cecidit? non quum in conspectu Roma fuit, succurrit: intra illa mœnia domus ac pœnates mei sunt? mater, coniunx, liberique? Ergo ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur? nisi filium haberem, libera in libera Patria mortua essem? Sed ego nihil iam pati nec tibi turpius, nec mihi miserius possum: nec ut sim miserrima, diu futura sum: de his (2) *videris: quos, si pergis* (3) *aut immatura mors, aut longa servitus manet.* Vxor deinde ac liberi amplexi fletusque ab omni turba mulierum ortus, & comploratio sui patriæque, fregere tandem virum: complexus inde suos, dimittit: ipse retro ab urbe castra movit. Abductis deinde legionibus ex agro Romano, invidia rei (4) oppressum perisse tradunt, alii alio leto. Non inviderunt laudes suas mulieribus viri Romani, adeo sine obtrectatione gloriæ alienæ vivebatur: monumento (5) quoque quod esset, templum *Fortunæ muliebri* ædificatum dedicatumque est.

NAR-

(2) *De filiis, quos Volumnia ulnis gestarat.*

(3) *Si non cessas oppugnare Romam.*

(4) *A Volscis opprimendæ Romæ opportunitate frustratis.*

(5) *Ordo est:* templum quoque fortunæ muliebri ædificatum est, quod esset monumento *eius facti.*

NARRATIO
De rebus gestis Polonorum
PIO V. PONTIF. MAXIMO



PER M. ANTONIVM MVRETVM
Facta Anno CHRISTI 1567. *regnante Sigismundo Augusto.*

Polonorum gens semper in præclaris rebus gerendis, quam in iis, quæ gessisset, memoriæ prodendis, occupatior fuit; semperque maiorum suorum virtutem imitari, quam celebrare, gloriosius duxit. Atque ut exordiar, &, Poloniæ Rex quam longe lateque dominetur, expediam: tota illa Germaniæ pars orienti soli propior, quæ est inter fluvios Guttalum, quem hodie Oderam vocant, & Vistulam, qui antiquis temporibus Germaniam a Sarmatia dividebat, & Sarmatiæ quantum est a Vistula ad Borysthenem & à ponto Euxino usque ad sinum Venedicum, inter quos plus mille Italica passuum millia interiecta sunt, illius imperio continetur. Regio prope tota æqua, & plana, multis magnisque fluminibus & ad fertilitatem & ad mercaturas commodissimis irrigua, rebus ad vitam necessariis usque ad abundantiam dives. Habitatorum autem ea multitudo, ut, cum equitatus regius ex solis nobilibus constet, centum quadraginta equitum millia armare, & in aciem secum, si res ferat, educere Rex Poloniæ possit. Homines natura fortes & animosi, quique non facile aut voluptatibus molliantur, aut periculis terreantur. Mortem per decus obitam, immortalitatis instar; vitam per dedecus retentam, quavis morte peio-

rem putant. Ignominiam ut fugiant, nihil non fecerint; ut mortem, nihil. Hæc hominum, hæc locorum ingenia. Cinguntur autem omni propemodum ex parte ferocissimis gentibus, & partim ab Ecclesiæ communione dissociatis ac diremptis, partim apertis & capitalibus Christiani nominis hostibus, ut in illo confinio, tanquam in communi quadam arce ac propugnaculo, fortissimi viri ad sustinendam & propulsandam barbarorum immanitatem, & ad agendas perpetuas pro Christianis omnibus excubias, divino consilio constituti ac collocati esse videantur: quo essent cæteri Polonorum virtute tecti, Polonorum laboribus quieti, Polonorum periculis tuti. Neque mihi videor quidquam a suscepto munere facturus alienum, si breviter exposuero, quemadmodum illos Deus, ante sexcentos abhinc annos, discussis errorum, quibus involuti erant, tenebris, ad Evangelii lucem perduxerit. Omnes fere magnæ & memorabiles in rebus humanis mutationes aliquanto antea aut uno, aut pluribus illustribus ac notabilibus signis divinitus portendi ac præsignificari solent. Cum igitur tempus illud appropinquaret, quo se Deus Polonis patefacere, eosque impia superstitione purgatos cœlesti doctrina imbuere statuerat: adventantis iam, & instantis salutaris illius mutationis hanc, quam mox audietis, significationem dedit. Imperabat Polonis Ziemomislus Lesci filius, Princeps (quatenus hæc convenire in hominem non Christianum queunt) & iustitiæ & clementiæ, & beneficentiæ, & aliarum virtutum laude cumulatus: & in quo nihil præter Christi cognitionem desiderares. Huic, cum multos annos sine liberis esset, graviterque ea re angeretur, tandem natus est filius, sed oculis captus; ita ut non

non facile dijudicare posset, maioremne dolorem percepisset ex orbitate, an perciperet ex unici filii cœcitate. Omnia remedia, omnes medicorum conatus mali pertinacia elusit. Jam ad septimum annum pervenerat puer, eique patrio quodam ritu primam comam tonderi, nomenque imponi oportebat, cum præter omnium spem subito oculis uti cœpit. Incredibili lætitia perfusus pater convocatos ad se hariolos consulit, quid ex tam admirabili successu filio suo, quid toti Poloniæ portenderetur? Respondent: eo imperante, Poloniam mirabiliter illustratum iri. Ex ea spe atque omine puero nomen inditum Miecislao, quod gentis lingua significabat eum, qui sibi gloriam gladio pariturus esset. Nullo enim alio modo illustrari posse Poloniam, quam bello, & armis cogitabant. Jam adoleverat Miecislaus; jam ad virilem ætatem pervenerat, jam mortuo patre rerum potiebatur; & cæteris quidem virtutibus patri non absimilis, nihil cæteroqui bello egregium aut memorabile gerebat, ita ut tota Polonia, & se credulitatis, & vanitatis vatum suorum responsa damnaret. Sed maius quiddam, quam quod illi suspicati erant, parabat Deus. Miecislaus ductis barbarico more septem uxoribus, nullos tamen ex ulla earum liberos procreare poterat. Interea fundente se, ac spargente quotidie latius Christiana religione, pervenerant & in Poloniam sancti quidam viri: qui aut solitariæ vitæ, ut quietioris, & ad res divinas sine ullo impedimento contemplandas aptioris, studio ducti, aut periculorum metu, in abditis & remotis sylvarum recessibus delitescentes, Christo, ut poterant, serviebant. Horum quibusdám in animum immittit Deus, ut ad Principem adeant, eique polliceantur & liberos, & alia multo majora, si, repudiato

falſorum numinum cultu, Chriſtum verum Deum agnoſcere, & traditam ab eo doctrinam ſuſcipere vellet. Ipſe quoque Divini ſpiritus repentino tactus afflatu, promptum ſe ac facilem ſalutaribus illorum monitis prebuit. Neque longius res ducta eſt, quam dum prima ac præcipua religionis noſtræ capita edoceretur. Quæ ut percepit, magna pompa ac celebritate publice baptizatur, brevi tempore totam Poloniam ad Chriſtianam pietatem & exemplo ſuo incitavit, & cohortationibus ac præmiis allexit, & minis ac ſuppliciis adverſus pertinaces propoſitis perpulit. Tum demum cognitum eſt, quod Miecislaus totos ſeptem annos cœcus fuiſſet, ſignificatam eſſe hoc modo diuturnam Polonæ gentis cæcitatem: quod, omnibus humanis auxiliis fruſtra tentatis, tandem divino beneficio lucem aſpexiſſet, fore ut populi quoque cœcitas nulla humana ope ſanabilis divinitus depelleretur. Neque vana fuit hariolorum prædictio: Eo enim rerum potiente, Polonia ſplendore divini luminis illuſtrata eſt. Notum eſt autem, interdum fieri, ut etiam ſuperſtitioſi & impii homines, Deo permittente, vera vaticinentur. Neque temere inditum nomen. Gladio enim ſibi & ſuis gloriam peperit, non quidem ferreo, aut ulla ex alia materia confecto, ſed gladio illo, utrinque acuto, gladio ſpiritus, quod, ut ait Paulus, eſt verbum Dei. Ut autem ab ea Eccleſia, quæ cæterarum omnium mater ac magiſtra eſt, chriſtiane vivendi leges acciperent, & ex eo fonte haurirent, unde nihil non purum & incorruptum hauriri poteſt, legatos miſerunt ad Joannem Pontificem eius nominis tertium decimum, per quos & eum, ut communem totius Eccleſiæ paſtorem, venerarentur, & ab eo ſibi peterent Epiſcopos mitti,

a

a quibus regi, & quæ ſibi credenda, quæque facienda eſſent, cognoſcere accuratius poſſent. Miſit ille Italorum hominum ſpectatæ probitatis & eruditionis idoneum numerum; qui primi novellas illas ac teneras nuper in horto Chriſti depactas ac conſitas plantas, copioſis ſanctorum præceptorum imbribus irrigarunt. Hujus Miecislai ſoror Adleida, cum Geiſæ Ungarorum Principi nupta eſſet, cohortationibus ſuis perfecit, ut ipſe quoque cum tota Ungaria Chriſti Sacramento adigeretur. Neque vero ejus filius Boleslaus primus Poloniæ Rex, aut majoribus ſuis laude bellica, aut patri propagandæ religionis ſtudio ceſſit. Qui ſuſcepto adverſus Saxones bello, & ea, quæ illi dudum Polonis ademerant, recuperavit, & cum univerſam illam oram ad Albim & Salam fluvios, & Cherſoneſum Cimbricam, quæ hodie Dania vocatur, ſub imperium ſuum ſubjunxiſſet, ut oſtenderet, eam ſe victoriam Chriſto quæſiſſe, non ſibi, nihil in victos acerbe, aut crudeliter ſtatuit: ſed cum eos ad accipiendam Chriſti doctrinam compuliſſet, fixis memoriæ cauſſa in Salæ ripa tribus ferreis columnis, in Poloniam ſe recepit. Numquid igitur ea laude contentus, otio ſe poſtea tradidit? Imo vero declaravit, nunquam deſidem atque ignavam eſſe virtutem, nullas ei eſſe a præclaris actionibus ferias; fortes & conſtantes viros honeſtorum laborum ac munerum perfunctione, non ad quietem invitari, ſed ad alia ex aliis aſſidue ſuſcipienda incitari. Nam cum Pruſſi aliquot ante annis divum Adalbertum interfeciſſent, ejusque corpus quidem ipſe æquo auri pondere a barbaris redemiſſet, (mirum hoc quoque pietatis argumentum: ſed in tanta temporis anguſtia multa neceſſario prætermittenda ſunt) cædis autem ultionem in aliud tempus diſtuliſſet: tunc demum ra-

tus advenisse tempus illud, cum & punienda eorum audacia, & armis frangenda pertinacia esset, bellum eis intulit, neque magno negotio victor non aliam eis pœnam imposuit, quam ut erroribus suis depositis Christo initiarentur. Hic mihi venit in mentem, quod olim a quodam Græco (1) Imperatore dictum est, qui a suis in exilium pulsus, cum apud hostes, ad quos confugerat, multo lautius ac magnificentius haberetur, quam aupud suos: Perieramus, inquit, nisi periissemus. Ita enim, & qui ab illo principe vincebantur, dicere poterant, se, nisi ab eo victi essent, perituros fuisse.

Quid ego jam, ut Pomerani a Boleslao, Prussi a Boleslao quarto ad Christum, a quo defecerant, revocati sint, persequar? Rerum me copia inopem consilii reddit. Ideoque ne de bello quidem, quod Boleslaus Quintus cognomento Pudicus adversus Jazygas, qui hodie partim Valachi, partim Ungari sunt, gessit, copiosius dicam: tantum quasi præteriens admonebo, eum, cum gentem illam ferocissimam devicisset, illos omnes, quorum virtuti, ut ait vetus poeta, fortuna belli pepercerat, quasi opima quædam spolia Christo consecrasse, neque aliud eis, quam ut Christiani fierent, imperasse. Ad Jagellonem enim Sigismundi Augusti proavum festinat animus, cujus admirabili inusitatæque virtuti utinam par á me adferri posset orationis genus! Sed ita prorsus existimo: omnes, qui ubique sunt, eloquen-

(1) *Themistocle, Atheniensi, qui postquam Persas multa clade affecisset a suis Patria injuste pulsus, apud hostes refugium quærere coactus est.* Vide Cornel. Nep. in vita Themist.

quentissimos homines, si communi studio ad eum celebrandum quidquid habent in dicendo virium conferant, omnia tamen illius dignitate inferiora dicturos. Id ita se habere, eos, qui me attente audire non gravabuntur, facile cogniturros esse confido.

Lituania amplissima, & fortium virorum feracissima regio, cæteris finitimis populis ad religionem Christianam adductis, in veteri superstitione perstabat. Colebant autem ejus provinciæ homines ignem pro Deo, ei aras, ei templa ponebant, eum summa diligentia in celeberrimis quibusque oppidis perpetuum asservabant. Fulmini quoque divinitatem quandam inesse credebant, idque sua lingua deum Percunum nominabant. Sed & lucos & selectas quasdam in sylvis eximiæ proceritatis arbores venerabantur ut deos. Viperis quoque & aliis serpentibus eundem tribuebant honorem. Qui quid horum violasset, inexpiabile ab eo scelus conceptum putabant. Cum hoc per se mirabile erat, talem tantamque provinciam tanto tempore in tanta errorum fœditate versari, cum illud accedebat incommodi, quod gens bellicosa & ferox finitimos sibi Christianos quotidianis incursionibus lacessens, nunquam quiescere patiebatur. Ei genti annos abhinc amplius ducentos viginti imperabat Jagello, idemque præterea & Samogitiam & magnam Russiæ partem obtinebat fortis & strenuus Princeps, & quanquam religionis nostræ mysteriis nondum initiatus, tamen, ut qui Christiana matre genitus esset, animo ab ea non prorsus alieno. Cum igitur per id tempus mortuo Ludovico Ungariæ & Poloniæ Rege, regni proceres de Heduigi ejus filia, ad quam regnum delatum erat, in matrimonium collocanda deliberarent, ecce ab

Ja-

Jagellone legati, qui renuntiarent, eum cum omnibus ſuis velle Chriſtianum fieri, petere, ut ſibi Heduigis uxor daretur: hoc ſi fieret, paratum eſſe omnes ditionis ſuæ provincias cum Poloniæ regno ea lege conjungere, ut nunquam divellerentur.

Quam lubentibus animis Poloniæ Proceres eam legationem audierint, nihil opus eſt dicere. Suſtulerunt manus ad cœlum, & gratias egerunt omnium bonorum auctori DEO, qui tandem illorum populorum miſertus, eam mentem immiſiſſet Jagelloni. Ipſa tamen Heduigis, in qua eximiam formæ pulchritudinem ſingularis modeſtia æquabat, nihil de matrimonio ſuo ſine matris auctoritate ſtatuere voluit, totamque rem ad illius voluntatem rejecit. Miſſi ad eam oratores in Ungariam, quo ſe mortuo viro contulerat, quibus illa reſponſum dedit pietatis & prudentiæ plenum. Longe a ſe abeſſe eam mentem, ut quidquam impedire vellet, quod & ad amplificandum regnum Poloniæ, & ad religionem latius ſpargendam pertineret. Cogitarent Poloni, & in commune conſulerent, reque mature deliberata id facerent, quod & Deo acceptiſſimum, & regno utiliſſimum putarent fore. De procerum igitur ſententia, conſtituto ad nuptias celebrandas die, Cracoviam magno ſeptus comitatu venit Jagello: & quia fortaſſis a matre puer acceperat, ſanctos illos Reges, quorum memoriam nuper Eccleſia recolebat, ad adorandum Chriſtum recens natum non ſine muneribus veniſſe, ne ipſe quidem immunis ad Chriſtum venire voluit, eique pro munere non thus, non aurum, non myrrham, ſed fratres ſuos, quos ſecum baptizari voluit, ſed Lituaniam, ſed Samogitiam, ſed Ruſſiam, ſed omnes uno verbo, quos in poteſtate habebat, populos obtulit. Quam jucundum illud non hominibus

bus modo, ſed angelis ipſis fuiſſe ſpectaculum credimus, cum vir fortiſſimus ad ſacros fontes increbibili alacritate properaret; cum ſe in vas ad eam rem præparatum cupidiſſime immergeret; cum magna & clara voce Deum & homines teſtaretur, ut in ſe aqua illa ſpargeretur, ita ſe pro Chriſto ſanguinem ſuum, ubi res ferret, ſparſurum eſſe! Baptizatus igitur & novo nomine Vladislaus Jagello dictus, poſtridie Idus Februarias; eodem die reginam in matrimonium duxit, neque multo poſt conſecratus & inunctus, ac coronatus Rex Poloniæ, totum eum annum in pacando regno conſumpſit.

Eo autem anno, qui proxime ſecutus eſt, cum ei nihil longius videretur, quam dum populos ſuos in Chriſtianorum numerum aggregatos videret, comitatus uxore & multis principibus viris, multis item Epiſcopis ac ſacerdotibus in Lituaniam profectus, quam multis, quam certis, quam inuſitatis documentis pietatis ſuæ magnitudinem teſtatus eſt! Nam cum populum ægre ab inveterata ſuperſtitione avelli videret, ipſe omnibus inſpectantibus, manu ſua illis, quas aliquando coluerat, arboribus magna vi ſecures impingens, easque ab radicibus, deturbans, tum ingentem vim aquæ profundens in illos tamdiu adoratos ignes: *Non eſt,* clamabat, *non eſt Deus, quod exſcindi ac dejici, non, quod exſtingui poteſt. O mirificos Deos, quorum alter alteri pro pabulo eſt, alter alterum abſumit! In venenatis autem & mortiferis animalibus quæ poteſt eſſe divinitatis ſimilitudo? Agnoſcite, agnoſcite miſeri errorem veſtrum, & reſipiſcite, & tandem aliquando mentis oculos ad Deum omnium rerum effectorem convertite: ne, dum æternum (ut falſo putatis) ignem colitis, in alium ignem vere æternum*

num incidatis. Simul hæc, ſimul eis religionis noſtræ principia, ut poterat, ediſſerebat: ut eodem tempore & vetus ille ignis pro Deo habitus, exſtingueretur, & novus ignis divini amoris in eorum pectoribus accenderetur. Cumque neque ſacerdotes, quos ſecum adduxerat, Lituanicam linguam, neque Lituani ullam aliam intelligerent, ipſemet eos ſummam fidei noſtræ ab Apoſtolis traditam, quam ſymbolum vocamus, ipſe formulam precandi a Chriſto JESU inſtitutam, ipſe cætera, quæ diſcere ſolent ii, quos Catechumenos vocamus, in Lituanicum ſermonem convertens, neque ullum in ea re laborem ſubterfugiens, edocebat. O Regem rari, & ſingularis exempli! O ardorem animi commemorabilem! O pietatem omnibus ſæculis prædicandam! Ita igitur inflammavit Lituanorum animos, ut ad danda Chriſto nomina, & ad ſacroſanctam illam aquæ aſperſionem ſimul omnes facto agmine concurrerent, ſeque longiorem moram pati non poſſe clamarent. Ideoque ſolis nobilibus ſingulatim baptizatis, cætera multitudo idem ſacramentum catervatim diſtributa ſuſcepit.

Quid ego nunc exſtructarum ab eo ſacrarum ædium multitudinem, quid divitiarum Eccleſiaſtici ordinis hominibus attributarum magnitudinem exponam; Quid ſuſceptos in Samogitia ad Chriſtum traducenda labores; & obita eadem illa munera, quæ in Litvania obierat? Illud vero minime prætereundum eſt, quod ne regnandi quidem ſuavitas, maxima illecebra peccandi, quæ ſæpenumero multos, adverſus alia omnia ſatis firmos, abſtulit, ullam vim habuit, ad Vladislai fidem ac conſtantiam labefactandam. Nam cum Bohemi, quorum animis paulo ante Joannes Huſs & Hieronymus, Pragenſis peſtiferum opinionum ſuarum virus af-

flave-

flaverant, mortuo Venceslao Rege suo, legatos, ad eum misissent, per quos ei regnum deferebant, multisque precibus obsecrabant, ut id aut ipse, aut Vitoldus frater ipsius patruelis susciperet: maximo uterque animo eorum preces repudiavit, addita illa nobili, & nunquam satis celebrata voce: Religionem sibi esse, hæreticis imperare

Non patitur temporis brevitas, ut aut plura de hoc dicam, aut de ejus filio Vladislao tertio Poloniæ & Ungariæ Rege, qui, ut Pontificis maximi auctoritati pareret, cum Turcis, quos diu vexaverat, multisque præliis fuderat, fregerat, afflixerat, redintegrato adversus pactas cum eis inducias bello, tum quoque magna eorum edita strage, in ipsa tandem acie fortissime dimicans interfectus est. Eademque me caussa cogit, tum alios aliquot Reges silentio involvere, tum in Sigismundo Primo, Sigismundi Augusti patre, laudando esse breviorem. Cujus pietatem quidem ac religionem magnificentissima templa partim instaurata, & refecta, partim ditata, partim etiam a fundamentis excitata, & perpetuum prohibendarum a regno suo novarum opinionum studium; bellicam vero fortitudinem tam multæ, tamque memorabiles de Moschis, de Valachis, de Tartaris, de Turcis victoriæ, &, ut cœtera taceam, octoginta Tartarorum millia uno ad Borysthenem prælio profligata testantur. Qui cum octoginta duos vixisset annos, carus suis, metuendus hostibus, utrisque venerandus, satur vitæ, satur gloriæ, moriens, Sigismundum Augustum non regni magis quam virtutum suarum hæredem reliquit.

M. ANTONII MURETI EPISTOLÆ.

M. ANTONIUS MURETUS ALEXANDRO RIPARIO SUO S. P. D.

Dulces litteræ tuæ, ut omnia, quæ a te proficiſcuntur; etſi in eis multa peccaveras. Sed ut filioli balbutientes libenter audiuntur a patribus, ſuntque eorum etiam ipſi errores voluptati: ſic mihi iſta tua in litteris infantia jucundiſſima eſt. Eas ipſas ad te remitto mea manu emendatas. Scis enim ita inter nos conveniſſe. Tu, mi Alexander dulciſſime ac ſuaviſſime, ſequere magno animo eam viam, ad quam & tua te natura fert, & ego tibi hortator atque impulſor fui. Magnam de te ſpem meo teſtimonio apud parentes tuos concitavi: quæ ne & eos & me fallat, omni tibi cura ac ſtudio providendum eſt. Vale. Nonis Julii. Tibure M. D. LXX.

EIDEM RIPARIO.

Ne priores litteræ tuæ ad te pervenirent, Caroli incuria factum erat, cujus tu quoque negligentiam noſti. Nunc una cum his meis utraſque tuas accipies: ſimulque hoc intelliges, (quod tibi gratuleris,) poſteriores multo meliores eſſe prioribus: ut, ſi ad iſtum modum pergas, magna mihi ſpes ſit te præclare reſponſurum exſpectationi meæ. Vide igitur, ſi me amas, quod & facis, & facere certe debes, ut omnibus aliis rebus neglectis, quantum quidem valetudinis ratio patietur, urgeas ſtudia tua: multa legas, multa ediſcas, multa audias, frequenter cum iis verſere, quorum familiaritate ac conſuetudi-

tudine melior ac doctior fieri potes. Fac cogites, gravissimam esse jacturam temporis: præcipue autem ista ætate, qua tu nunc es, hora nulla tibi perire sine magno dispendio potest. Saluta mihi præceptorem tuum, cui meas ad te litteras ostendas licet. Eas quidem, quas tu ad me missurus es, nemini prorsus ostendi volo: eas enim mihi gratiores faciunt ipsi errores tui. Vale mi dulcissime Alexander, VI. Id. Julii M. D. LXX. Tibure. Oblitus eram scribere heri in mensa injectum esse sermonem de comœdia: qua occasione multa de te quoque dicta sunt. Valde tibi tunc aures tinnivisse (1) oportet. Omnino spero fore, ut huc tibi adveniendum sit.

EIDEM RIPARIO.

Perge, ut facis, mi Alexander, amare litteras, eis te oblectare, in eis omnia & seria & joca tua collocare. Nam magnus labor magno tibi olim honori futurus est. Ista via, quam tu nunc ingrederis, multi humili & obscuro loco orti ad amplissimas dignitates pervenerunt. Atque etiamsi nulla ejusmodi præmia litteris proposita essent: ipsa tamen doctrina amanda est per se: neque quidquam in homine ingenuo turpius est ignoratione earum rerum, quarum scientia sine litteris comparari non potest. Voluptas, quæ ex turpibus capitur, celeriter transit; dolorem autem in animo diuturnum relinquit: at labor in rebus honestis collocatus, ipse quidem effugit; memoriam autem sui in animo relinquit plenam honestissimæ & solidissimæ voluptatis. Hæc cogita & vale. Postrid. Id. Jul. Tibure.

(1) *Si cuiuspiam absentis fiat mentio,* aures *eius* tinnire *dicuntur in communi proverbio.*

EIDEM RIPARIO.

Etsi nihil erat quod scriberem, ac præterea mirum me quoddam scribendi odium tenebat: nolui tamen (2) verberonem hunc meum sine meis ad te litteris istuc venire. Amo te quotidie magis, quod a te litterarum studia eodem modo amari confido. Sed velim ad me diligenter scribas, quo te nunc scriptore oblectes, Cicerone, an Terentio, an, quod malim, utroque? Dare etiam operam debes, ut in iis, quæ ad me scribes, iis loquendi generibus utare, quæ in illorum scriptis notaveris; ut ea ipsa res fidem mihi faciat diligentiæ in eis legendis tuæ. Vale. Tibure. V. Kalend. August. M. D. LXX.

EIDEM RIPARIO.

Nemo est omnium, ad quem libentius, quam ad te scribam. Sum enim animo ac voluntate erga te plane paterna. Sed vix credas, quam sim in hoc secessu occupatus; quem tamen plerique omnes esse plenum otii putant. Et quotidie quinas aut senas ab amicis litteras accipio, ad quas si respondere omnes velim, nil aliud agendum sit. Gratum est mihi, quod applicuisti te ad consuetudinem P. Æmilii & Horatii Macarani. Eorum enim uterque te & doctrina & exemplo efficere meliorem potest. Tales sectare. Qui autem alio ingenio sunt, eorum consuetudinem quasi pestem aliquam vita. Ætati tuæ nihil diligentius providendum est, quam quibus sodalitatibus utare. Neque ego severum esse te ac tetricum, omnique generi voluptatum inimicum volo. Hoc tantum moneo, non eas amicitias quærendas,

(2) *Servum nequam, qui verberibus est urgendus.*

das, quæ dulcissimæ videantur, sed inducendum animum, ut quæ honestissimæ sunt, easdem etiam dulcissimas esse ac suavissimas putes. Mi Alexander, etiam atque etiam vale. Tibure. V. Id. August. M. D. LXX.

EIDEM RIPARIO.

VIde quam te amem, cum a multis hodie litteras acceperim, nihil mihi prius faciendum esse duxi, quam ut ad te potissimum rescriberem. Cave putes, Alexander mi, ipsi te patri tuo chariorem esse quam mihi. Ac si quæras, quæ caussa sit hujus erga te tanti amoris mei, ne vivam, si aliam adferre possum, quam quod videor mihi animadvertisse in te ingenium excellens, & si tu volueris, ad omnia summa natum. Sed tu hoc facito tecum cogites: multas res esse suapte quidem natura, bonas, sed quæ culpa eorum, qui illas possident, interdum pessimæ ac perniciosissimæ fiant. Bonæ sunt opes, sed si quis non recte utatur, malæ. Bonum forma, sed id bonum multis exitio fuit. Ex eodem genere est ingenium. Si recte utaris, nullum prope hominum generi dari potest majus, aut præstabilius donum: sed si ad bonum ingenium mala mens accesserit, itidem erit, ut gladius in manu furiosi. Quo erit melior & acutior, eo plus adferet mali. Ego autem te, Alexander, amo nunc, quia ingenio bono es; amare desinam, si tu bono ingenio male uti cœperis. Sed id spero non fore, teque bono ingenio bene usurum esse confido, vel tuapte sponte, vel quia videris mihi valde amare amorem erga te meum: quem tueri ac conservare alia ratione nulla potes. Vale, & si me amas, virtutem ac litteras ama. Nulla in humanis rebus majora bona sunt. Iterum vale. Tibure. VIII. Kalend. Sept. M. D. LXX.

EIDEM RIPARIO.

Accepi ternas tuas litteras: in poſtremis autem quædam erant ita negligenter ſcripta, ut facile conſtaret, aliud egiſſe te, cum illa ſcriberes. Oſtendam ea tibi, cum iſtuc venero, & auriculam pervellam tibi; ut poſtea in ſcribendo attentior ſis, & ſaltem eos ſolæciſmos effugias, quos effugerent etiam pueruli, qui primis litteris imbuuntur. Noli tamen ex hac mea admonitione moleſtiam ullam capere. Non enim propterea volo quidquam de tua hilaritate detrahi, ſed ad diligentiam addi. Vale. Tibure IX. Kalend. Octobr. M. D. L.XX.

EIDEM RIPARIO.

Verſiculi, quos ad me miſiſti, oſtendunt illi quidem, te, ſi ad Poëticam ingenium tuum contuliſſes, & bonos magiſtros nactus, in eo ſtudio perſtitiſſes, ad aliquam præſtantiam pervenire potuiſſe. Nam & numeroſi ſunt, & ſententias habent, neque inconcinnas, neque ineleganter collocatas; & ipſum dicendi genus non abhorret a recto. Planeque ſperare poſſes, te aliquando bonum Poetam fore, ſi hoc agere velles. Sed majora tibi propoſita ſunt, quæ, quantum potes, urgeas, cenſeo; & ſubſicivis horis veterum Poetarum ſcripta manibus teras, non tam ut imiteris, quam ut eis te oblectes; ſimulque aliquid ex eis aſſidue, quod tibi uſui ſit, colligas. In ſcribendis verſibus tempus a te collocari, verum ut fatear, nolim. Malos verſus facere, turpe eſt; mediocres, inglorium; bonos difficilius, quam ut præſtari poſſit ab iis, quibus aliud agendum eſt. Quid in tuis lima egeat, præſens præſentem monere poſſem: per litteas non æque facile poſſum. Recteque ac vere mihi videtur Ovidius dixiſſe, emendandi la-

laborem majorem eſſe, quam ſcribendi. Mihi hoc credas velim: me hodie non difficilius ad ſaltandum, quam ad faciendos verſus adduci poſſe. Si quid erit ſerium, in quo meam operam deſideres, non deero: in his levioribus, ſi quando de me cogitabis, peto a te, illud quoque cogites, non multo juniorem eſſe me, quam erat Horatius, cum illa de ſe ſcriberet. Nunc itaque & verſus & cætera ludicra pono. Vale. Romæ. Id. Febr. MDLXVIII.

JOANNES ZAMOSCIUS,
Regni Poloniæ Vicecancellarius, Belzenſis, Knyſzynenſis Capitaneus, &c.
M. ANTONIO MURETO S.

Tum ex conſtanti fama, tum ex ſcriptis tuis, quæ in lucem a te edita manibus omnium, ob eorum elegantiam, teruntur, cognovi quantus ſis in litteris. Facile igitur tua virtus me, etſi tanto locorum intervallo a te remotnm, & eum, qui te nunquam viderim, in tui amorem trahere potuit: cum & ipſe eas, licet earum ignarus. ac in vita civili occupatus, amem. Id tibi litteris hiſce meis breviter ſignificare volui. Plenius vero per Generoſum Joannem Zamoſcium, Sereniſſimi Regis noſtri Secretarium, qui iſtuc a Rege miſſus eſt. Cui tu fidem in iis, quæ tibi nomine meo nunciabit, adhibebis, & me tui amantem, redamabis. Vale, ex caſtris ad Gedanum. III. Kal. Jul. M. D. LXXXVII.

M. ANTONIUS MURETUS
JOANNI ZAMOSCIO
Regni Poloniæ Vicecancellario, Belzenſi Knyſzynenſi Capitaneo, &c.
S. P. D.

Præter ſpem & opinionem meam accidit, ut cum inter me & Joannem Zamoſcium Sereniſſi-

nissimi Regis Secretarium omnibus prope de rebus convenisset, jamque ego me ad iter accingerem, atque istic animo & cogitatione totus essem; subito ostenderit Gregorius Pontifex Maximus profectionem meam sibi non placere; meque per viros summa auctoritate præditos monendum curaverit, ne ex urbe discederem; sibi curæ fore, ut ne in urbe deteriori conditione essem, quam quæ mihi in Polonia deferretur. Quin etiam ad quingentorum aureorum nummorum stipendium, quod mihi jampridem constitutum erat, statim ducentos adjici jussit, mandavitque Datario suo, primo quoque tempore quoquo modo efficeret, ut aliunde mihi trecenti aurei nummi quotannis penderentur, Ea re factum est, ut coactus sim deponere consilium, quod ceperam veniendi ad vos: a quo, ne vivam, si me alia ulla res, quam summi Pontificis voluntas atque auctoritas abducere potuisset. Interea etiam tacente me, facile omnes vident, quantum Serenissimo ac potentissimo Regi Stephano, quantum tibi, Zamosci clarissime, debeam. Vobis enim, nisi plane ingratus sim, hanc tam luculentam fortunarum mearum accessionem acceptam feram, necesse est. Quare dum vivam, me utrique tantum debere fatear, oportet, quantum ab homine deberi homini plurimum potest. A te etiam atque etiam peto, ut mihi veniam a Serenissimo Rege impetres; tibique persuadeas, si ullum tempus unquam eveniat, ut me vitam ipsam vel pro Majestate ipsius, vel pro tua, clarissime Zamosci, dignitate in discrimen exponere oporteat, nemini me concessurum, qui id promptius aut majori animo faciat. Vale. Romæ. Kalend. Decembr. M. D. LXXVII.

Sere-

Sereniſſimo & Potentiſſimo
PRINCIPI STEPHANO, Dei gratia Poloniæ
Regi, &c.
M. ANTONIUS MURETUS *S. P. D.*

Nihil in vita aut optabilius, aut honorificentius mihi contingere potuit, Sereniſſime Rex, quam ut homo neque ingenio neque doctrina præter cæteros præſtans, ampliſſima & honeſtiſſima conditione propoſita, a Majeſtate tua in Poloniam vocarer. Quo equidem venire cupiebam, non tam privati commodi ſpe, quam mirifico quodam ſtudio incenſus videndi ac venerandi cominus eum Principem, qui ſolus hodie confirmat vetus dictum, hominis ſapientiſſimi: *tum demum beatas civitates fore, cum aut Philoſophi regnarent, aut Reges philoſopharentur.* Sed id, cum ita cuperem, ut nihil unquam cupierim ardentius, cur efficere non potuerim, Regia Majeſtas tua ex Joanne Zamoſcio Secretario ſuo intelliget. A qua ſupplex peto, ut ne propterea dedignetur me in ſuorum numerum adſcribere: neque iniquo animo ferat, me, dum vivam, quibuscunq; modis potero, & loquendo & ſcribendo, quantum Regiæ ipſius liberalitati debeam profiteri ac prædicare. Deus Opt. Max. Regiam Majeſtatem tuam rebus omnibus florentiſſimam quam diutiſſime ſervet. Romæ Kalend. Decembr. M. D. LXXVII.

M. ANTONIUS MURETUS
PAULO SACRATO SUO
S. P. D.

Tandem ad te remitto epiſtolas tuas: neque enim per aſſiduas occupationes, & per moleſtiſſimum oculorum dolorem, quo dies aliquot laboravi, citius licuit. Eæ ſi conquerentur, ſe a me paulo ſeverius acceptas eſſe: recordari debebis,

bis, hoc ipſum a te mihi mandatum eſſe: ut ſi mollius ac lenius eas tractare voluiſſem, verendum mihi fuerit, ne tibi non ſatis obſequens viderer. Sed de his ſatis.

Nunc exponam tibi totum illud negotium Polonicum, quando litteræ, quas ad te, re adhuc recenti, ſcripſeram, perierunt. Stephanus, Poloniæ Rex, qui & aliis regiis virtutibus ornatiſſimus eſt, & hoc ſupra cæteros omnes Reges, qui multis ab hinc ſeculis vixerunt, eximium habet, quod & amat unice homines eruditos, & ipſe omni elegantis doctrinæ genere mirifice excultus eſt, miſerat in Italiam unum e domeſticis ſuis, qui quaſi delectum quendam haberet præſtantium doctrina virorum, eosque opimis admodum propoſitis conditionibus, in Poloniam invitaret ad Academiam novam, quam Rex Cracoviæ inſtituere parabat. In mandatis autem regiis, quod ad alios quidem attinet, facta erat poteſtas ei, qui huc venerat, optimum quemque & in docendo exercitatiſſimum deligendi: de tribus nominatim perſcriptum erat, de me, Carolo Sigonio, & de Fulvio Urſino. Ac mihi merces propoſita mille quingenti quotannis aurei nummi. Addebat Rex, ſi ſacris initiari vellem, (nondum enim ſciebat me Sacerdotem eſſe,) perfecturum ſe, quo mihi magis liberet manere in Polonia, ut intra breve tempus honeſto aliquo Sacerdotio, ex quo non minus quingentos annuos aureos nummos caperem, cohoneſtarer. Ea de re unus e primoribus illius regni, Joannes Zamoſcius, qui nunc magnus regni Cancellarius eſt, litteras ad me peramanter perque honorifice ſcriptas dedit. Commotus ſum non tam ipſius præmii magnitudine, (etſi his quidem temporibus inuſitata) quam tanti Regis tam propenſa ac benefica erga homines litterarum ſtu-

diis deditos voluntate. Neque me commovebat itineris difficultas: qui exploratum haberem, cum lectica, una cum filiolo fratris mei, puero ſex annos nato, quem mecum illuc ducere cogitabam, ad fanum Lauretanum (eo enim, religionis ac pietatis cauſſa, iter facere decreveram,) geſtatus eſſem, poſſe me ciſio Cracoviam usque commodiſſime vehi. Et jam convenerat, ut mihi Regis nomine ad iter conficiendum darentur trecenti aurei nummi, ad quos ego ducentos de meo præterea addere cogitabam. Jam mihi illud ſanctitatis & doctrinæ ſpecimen Stanislaus, (3) Cardinalis Varmienſis, gratuitam habitationem in palatio, quod Cracoviæ habet ampliſſimum, offerebat. Multæ a ſummis viris litteræ commendatitiæ in Germaniam & in Poloniam promiſſæ erant: ut cum eo veniſſem, nunquam fere in diverſoria publica ingredi neceſſe haberem.

Neque verebar illam, quæ in Polonia eſſe dicitur, inclementiam cœli aſperitatemque frigoris. Sciebam illa omnia re multo minora eſſe quam fama: & alioqui ſum ipſe quoque natus in parte Galliæ maxime montoſa ac frigida. Quod autem quidam, qui deterrere me cuperent, clamabant, gentes illas feras ac barbaras eſſe; interdum mihi riſum, interdum ſtomachum movebant. Magna mihi, Sacrate, cum multis Germanis, magna cum permultis Polonis familiaritas, magnus uſus, magna neceſſitudo fuit. Semper eos expertus ſum bonos viros, rectos, ſimplices, apertos, humaniſſimos præterea, & prope omnes eo vitæ cultu, ac munditia, quæ ad elegantiam potius,

(3) *Staniſlaus Hoſius, Cardinalis S. R. E. Epiſcopus Varmienſis, quo Præſide Tridentina Synodus Oecumenica felicem obtinuit exitum.*

tius quam ad ullam barbariem accederet. Nugæ iſtæ ſunt hominum, eos, qui adulari, & fallere, & aliud loqui, aliud cogitare neſciunt, barbaros vocantium. Utinam nos eo modo barbari eſſemus! Utri vero barbariores ſunt! nati in media Italia, quorum vix centeſimum quemque reperias, qui latine aut græce loqui ſciat, aut litteras amet? an Germani, ac Poloni, quorum permulti, & earum linguarum utramque perfectiſſime callent, & ita litteras ac liberales diſciplinas amant, ut in eis tempus omne conſumant? Olim illi fortaſſis aſperi ac barbari fuerunt: hoc quidem ſeculo, vereor ne ad nos barbaries, ad illos cultus & ſplendor vitæ & eruditio atque humanitas, mutatis ſedibus commigrarint.

Itaque, ut verum tibi fatear, libentiſſime eo commeaſſem, ſi nihil obſtitiſſet. Quicquid enim commodi mei cauſſa ab eis petebam, id omnes prolixe ac copioſe offerebant: ut jam conſtaret, inter nos ſine ullo negotio conventurum eſſe. Quid quæris? Fidem eis dederam, venturum eſſe me, ſi per ſummum Pontificem, cui ſervio, & per Cardinalem Eſtenſem, cujus in clientela ac familia ſum, liceret: alioqui enim non poſſe me, niſi eorum permiſſu, de me ipſo quidquam tale polliceri. Putabam autem, neutrum eorum hoc iniquo animo laturum: cum Cardinalis quidem gratis me alat (nullam enim ad rem mea opera utitur,) ſummus autem Pontifex ingentem copiam habiturus eſſet eruditiſſimorum hominum, qui ſe in locum meum ſubſtitui poſtularent. Contra tamen accidit, quam putaram. Etenim cum rumor de meo diſceſſu tota jam Urbe pervulgatus eſſet, Conſervatores populi Romani, (is ſummus Magiſtratus eſt eorum, qui hodie populi ſuffragiis deferuntur,) ad Pontificem accedunt, cum

præ-

præſentes etiam adeſſent ii ex Cardinalibus, quibus ſtudiorum cura commiſſa eſt, remque ei exponunt: atque ab eo ſupplices petunt, ne me abire patiatur: addunt multa de me, quæ malo te ex aliis cognoſcere. Pontifex benigne eos audit, bono animo eſſe jubet, ſe, quod opus foret, imperaturum eſſe confirmat. Paucis poſt diebus, per Ludovicum Caſtaneum Rupipozæum Chriſtianiſſimi Regis Oratorem, virum & claritate generis, & virtute & eruditione præſtantem, jubet mihi denuntiari, ne abeam: ſibi curæ fore; ne me, quod auctoritati ſuæ paruiſſem, pœniteret. Reſpondi, nullam pecuniam mihi eſſe tanti, ut mihi quidquam placeret, quod Pontifici diſpliceret: & honorificum quidem mihi viſum eſſe, quod a tanto Rege vocarer: ſed multo honorificentius, quod & a Pontifice, & a tali Pontifice retinerer.

Pontifex poſtea epiſtolam ad me miſit amantiſſime ſcriptam, qua ad ſtipendium quingentorum nummorum aureorum, quod jam pridem capiebam, ſignificabat ſe ducentos præterea addidiſſe. Eodem tempore Matthæus Contarellus Pontificis Datarius, vir & eximia quadam integritate vitæ, & ſingulari Romanarum rerum intelligentia inſignis, & mei, ut ſcis amantiſſimus, certiorem me fecit, ſibi a Pontifice mandatum eſſe, ut mihi quamprimum attribueret & aſſignaret annuam trecentorum aureorum nummorum penſionem. Itaque Rex tam longinquus effecit teſtimonio & judicio de me ſuo, ut ſanctiſſimi Pontificis liberalitate ad veteres fortunulas meas acceſſerint annui quingenti aurei nummi. Sed & Cardinalis Eſtenſis, ſimul atque iſtinc rediit, amplo me atque honorifico munere donavit: quod ego eo magis prædicare geſtio, quod ipſe tacere

re me jussit. Parendum tamen est, ne, dum gratus haberi volo, me illi non satis morigerum præbeam. Sed & ego scribendo defessus sum: & te suspicor, cum hæc tam verbose scripta legeris, fessum fore. Vale. Romæ Prid. Kal. Maji. M. D. LXXVIII.



EPISTOLÆ PETRI BEMBI NOMINE LEONIS X. PONTIFICIS MAX. SCRIPTÆ.

FERDINANDO Hispaniæ Regi.

Præter eam, quam tu quidem omni tempore Romanæ Reipublicæ fidem, pietatemque præstitisti, pro cuius auctoritate majestateque defendenda plurimas grauissimasque contentiones non es veritus subire atque suscipere: præterque illam singularem benevolentiam; qua nos a mea, familiam vero nostram ab ineunte tua ætate es prosequutus: ea etiam res nos delectat, quod qui me leuioribus in fortunis degentem semper juvisti, majoremque esse voluisti, eundem te nunc, cum quidem hoc in statu & dignitate summi Pontificatus Dei Optimi Maximi clementia nos collocarit, libentiori animo confidimus omnia curaturum, quæ ad nostram cum hujus imperii majestate consociatam dignitatem tuendam amplificandamque pertinebunt. Itaque inter alia, quæ mihi quidem pro mea pietate voluptati atque

que lætitiæ ſunt; tuum & in Romanos Pontifices animum, & in me amorem inprimis pono. Sed & hæc, & alia plura cum Hieronymo Vicco Legato tuo homine ſingulari prudentia prædito nobisque gratiſſimo communicavimus, qui ad te omnia diligenter perſcribet. Ea tu intelliges dabisque operam, ut, quæ ad Petri nauis tranquillum proſperumque curſum pertinent, ita cogites, vt tuam veterem in Chriſti Vicarios pietatem, nobis in puppi ſedentibus etiam auxiſſe videare. Ego certe nulla in re dignitati, amplitudini, gloriæque tuæ deero. Dat. prid. Non. April. MDXIII. Anno primo. Roma.

HIPPOLYTO Cardinali Ateſtino.

Ex tuis literis intellexi id, quod etiam ſine iis exploratum mihi erat: pontificatus mei nuntio audito te magnam lætitiam cepiſſe. Itaque mihi ea de re officioſiſſime amantiſſimisque verbis gratularis. Ægre fers etiam ſuffragiorum ferendorum tempore te non affuiſſe. Quæ quidem mihi omnia optatiſſima legenti jucundiſſimaque fuerunt: ex animo enim beneuolentiſſimo mihi dudum perſpecto, & cognito ſane proveniunt. Magnopere autem vellem eo te tempore Romæ fuiſſe: rem enim noſtram, qui tuus eſt in me amor, profecto in primis juviſſes. De meo vero in te animo ita te volo exiſtimare: amorem meum, qui quidem antea erga te atque Alfonſum Ducem Ferrarienſium fratrem tuum eximius fuit, ſemper hac in re Dei Opt. Max. benignitate ac munere etiam auctum multiplicatumque eſſe; vt quo major ipſe ſum, eo vterque veſtrum & coniunctior mihi ſit, & certe charior. Quod autem mihi eundem fratrem tuum commendas, voluit is iuſtis quidem de cauſis, quas ab ipſo intel-

intelliges, infectis rebus suis Roma proficisci. Spero tamen, me daturum operam, vt intelligatis vos mihi ambos incolumitatemque vestram magnæ curæ esse. Dat. tertio Cal. Maias. MDXIII Anno primo. Roma.

IOACHIMO Marchioni Brandeburgensi.

Litteræ tuæ, quibus mihi de Pontificatu Maximo gratularis, pergratæ mihi perque iucundæ fuerunt. Nam & tuum in Remp. obsequium atque cultum, & in me ipsum veterem observantiam & studium præsetulerunt. Itaque siquid erit, in quo amplificare tua commoda tuamque dignitatem possim, meam tibi operam in eo libentissime polliceor. Quod autem mihi Ioannem Planchefelem Iurisperitum Procuratorem tuum doctum sane hominem, & prudentem virum, & agendis rebus inprimis idoneum diligenter commendas, facis & ex more boni Principis, & ex ipsius, vt mihi videtur, meritis. Quamobrem & complector iam illum libenter per me ipse, & posthac tua commendatione mihi erit etiam charior. Dat. V. Non. Iul. Anno primo. Roma.

MAXIMILIANO Imperatori designato.

Antonium Cominatum, quem ad me misisti, & vidi & audiui libentissime, cum propter ipsius virtutem & in rebus, quas mecum egit, enuntiandis mirificam prudentiam, tum vel maxime quod abs te veniebat, a quo nihil mihi esse non gratissimum potest. Eum autem cum celeriter confectis constitutisque, de quibus agendum erat, rebus, ad te remittere maxime cuperem, tamen eæ fuerunt ejusmodi, vt is propter temporum difficultatem, dum diem ex die ducimus spe expectationeque ea, quæ vole-

leba-

lebamus, ex ſententia conficiendi, ſuum ad te reditum meo juſſu ad hoc diei diſtulerit. Quanquam quidem non illum idcirco nunc ad te remitto, quod omnia, quæ per me confici cupiebas, confecta jam explicataque ſint, de certis enim adhuc rebus conſtituere ea, de qua dixi, temporum difficultate impediente ſane non potui. Sed volui, vt & rerum non confectarum cauſas, & reliquarum rationem & ſtatum mentemque ſuper iis meam eodem Internuntio cognoſcendi diutius tibi facultas ne deeſſet. Itáque illum ad te remitto, cui animum meum aperui ejus omnem ſenſum, qua eſt probitate, ipſum ad te diligenter perlaturum plane confido. Dat. Id. Aug. Anno primo. Romæ.

V. ANGELO COSPO.

Accipio excuſationem tuam; quam affers de adventûs Vlyſſis fratris tui ad nos dilatione & mora; ægram ſcilicet ipſius valetudinem, quæ quidem mihi permoleſta eſt, amo enim te atque illum, vt ſcis, charosque habeo. Itaque illi meis verbis denuntiabis, curet valetudinem ſuam, quam quidem cum recuperârit; det ſe itineri, ad nosque veniat. Quemadmodum Bononiæ Magiſtratui etiam ſcribimus hac de re, quas ad literas te atque illum rejicio. Dat. XVIII. Cal. Sept. Anno primo. Româ.

VI. MALATESTÆ BALIONI.

QVo te amore complexus ſemper fuerim; quantoque ſtudio ornandi tui, tuaſque fortunas dignitatemque amplificandi tenear; profecto tibi eſſe debet exploratiſſimum. Multa enim atque illuſtria mea in te paterna officia & ſtudia extiterunt. Hanc benevolentiam voluntatemque erga te meam longe majorem atque in

in tua commoda paratiorem, & proniorem efficiendi pulcherrima tibi ſeſe facultas obtulit. Heri media in Vrbe Carolus Gratianus ſociique, qui cum ipſo erant, quinque Gentilem Martianum multis vulneribus confoſſum turpiter fœdeque interfecerunt. Quæ res ita me vehementer commovit; ut omnem curam adhibendam ſtatuerim, ut illi ſicarii pro ſui ſceleris atrocitate puniantur. Quid enim ulli tutum, aut quis eſſe locus ſecurus poteſt, ſi talia Romano prope in foro moliri, atque patrare homines audeant? Quamobrem mando tibi atque impero; ut una cum Peruſiæ magiſtratu des operam; ut Carolum ſociosque, quibuſcunque modis atque artibus comprehendatis. Quam ſane rem eo curare diligentius debebis; quod ejus ſceleris perpetratio notam atque ignominiam affert Gentili Balioni propinquo tuo; quicum nefarius ille trucidator Romam venerat. Itaque vt mentis animique mei ſenſum melius atque apertius intelligas; ſcire te plane volo; ſi mandatis imperioque meo ea in re obtemperaveris, Carolumque ipſum & Socios captos comprehenſosque Magiſtratui tradideris; me daturum operam te ut intelligas, mihi rem gratiſſimam feciſſe; melioreque quam adhuc fueris, loco apud me futurum. Sin aliter, ac ſpero deque ſtudio diligentiaque tua confido, tibi ſtatues eſſe faciendum; hoc eſt, ſi latrones illi tua cura, tuoque ſtudio fulti non capientur; quo te magis amo, chariremque habeo, fortunasque tuas dignitatemque amplificare magis cupio; eo te gravioribus indignationis odiique mei ſtimulis inſectabor. Dat. quarto Cal. Septemb. MDXIII. Anno primo. Roma.

VII. ANTONIO Abbati ſancti Bertini.

Voluptas, quam ex eo, quod Pontifex Max. declaratus ſum, accepiſſe te mirificam atque incredi-

incredibilem ſcribis; & ſi eá nihil mihi novi attulit: amoris enim erga me tui abundantiam dudum cognitam atque perſpectam hábeo, mihi tamen ſane gratiſſima jucundiſſimaque accidit. Viſus enim mihi ipſe ſum, dum tuas litteras legerem, illo ipſo tuo vultu atque conſpectu ſvaviſſimo & liberaliſſimo perfrui; quo me olim per Germaniam atque iſta per loca iter facientem amantiſſime ſuſcepiſti. Itaque mihi in memoriam revocaſti eos ipſos dies, quos una fuimus: qui quidem tamen dies nunquam ex animo meo exciderunt. Quamobrem ſcire te plane volo, & amari te a me unice, chariſſimumque mihi eſſe ac ſemper fore: & ſi vnquam occaſio dabitur videndi tui: quod ſine tuo incommodo poſſe fieri ſane pervelim; id mihi non minori voluptati fore; quam ſi meorum quempiam mihi ſanguine conjunctiſſimum uſu & conſvetudine optatiſſimum longo non viſum tempore conveniendi amplectendique poteſtas fieret. Quo fit, ut iis, quæ ſcribis, teneri te ſcilicet incredibili deſiderio videndi mei. facile fidem adhibeam. Reliquum eſt, vt, ſi quid erit, quod impetrare a me vel tibi cupias, vel tuis, ſcribas id ad nos certa cum ſpe, nihil te fruſtra petiturum. Vale. Dat. VII. Id. Sept. Anno primo. Romæ.

VIII. CLAUDIÆ Ludovici Regis Galliæ filiæ

Audita morte Annæ Reginæ matris tuæ, multis quidem de cauſſis magnum ſenſi dolorem: ſed eum præcipue, quod te filiam in tam tenera ætate reliquit; vt tuas exoptatas ſibi nuptias jam tractari cæptas, conficere, lætitiamque de te habere, quam ei debebas, non potuerit; ex quo te etiam magnum dolorem accepiſſe magis quidem ingenii tui mirifica in-

dole, quam ætate tuá ad animorum affectus percipiendos idonea, te movente ac excitante ſane puto. Sed quoniam ea Dei Opt. Max. voluntas fuit, matrisque tuæ virtutes tot tamque egregiæ extiterunt, ut memoriam ejus nominis omnibus ſeculis conſeruaturæ videantur, curandum tibi eſt, non tam ut homines ex ejus te obitu mærentem ſentiant, quam cogitantem quibus artibus ei quam ſimillima poſſis. Quod plane futurum confido, atque ut ei rei curam adhibeas, & in timore te Domini exemplo matris inſtituas, amantiſſime te hortor. A me autem te sperare omnia volo, quæ ad tua commoda dignitatemque pertineant; eoque magis, quod te tam illuſtri mâtre, tamque optima orbatam & ſpoliatam video. Et quanquam is tibi pater ſit, qui ſuppeditare tibi omnia, quæ à te expetentur, & propter Imperii magnitudinem poterit, & volet propter amorem, quo is matrem tuam complectebatur, cujus tu illi imaginem refers, quoque tibi parentis nomine afficitur, noſtrum tamen ſtudium, ſi quid tibi eſſe uſui poterit, voluntasque ad te ornandam propenſa tibi certe nunquam deerit. Dat tertio Cal. Febr. M D X I I I I Anno primo. Româ.

FABRITIO Carreto Magno Rhodi Magiſtro * IX.

LEctis litteris tuis, quæ me cum de Guidonis magni (1) Rhodi Magiſtri morte, tum de tua in ejus locum ſuffectione per Concilinm ſocietatis

1 *i. e. Supremo Moderatori Conventus Rhodii Equitum Ieroſolymitanorum qui ea tempeſtate incolebant Inſulam Rhodum in mari mediterraneo ad limites Aſiæ ſitam, in qua fuerat Coloſſus admirandæ magnitudinis à Care ſtatuario exſtructus, à*

tatis legitime facta certiorem reddiderunt, in altero perinde, atque de optimi præstantissimique viri máximeque temperati prudentisque hominis jactura, sane perquam dolui, illumque tam breve temporis spatium societati suæ præfuisse, ut parum ei ornamenti accidere ab ipso potuerit, moleste admodum tuli: in altero tanta lætitia is me nuntius áffecit, vt statim Deo Opt. Max. gratias egerim, & quod dolorem, quem ex Guidonis morte contraxeram, tua declaratione lenierit; & quod illud tibi muneris tradi mandarique voluerit, qui pro tua virtute, animi magnitudine, diligentia, religione, maximis in rebus perspecta, sæpe atque cognita, nihil es eorum prætermissurus, quæ ad rem Christianam conservandam atque amplificandam ipsiusque cultum & illustrandum & propagandum pertinebunt. Atque hoc cum publice mihi gratum & jucundum est, tum illud priuatim adjungitur, quod te, dum Cardinalem gererem, multos quidem annos & amavi ipse & abs te amari me plane sensi, ut si unus ex omni sociorum tuorum numero mihi optandus fuisset, quem sibi tua societas præficeret, neminem tibi sane prætulissem. Itaq; duplici nomine ea de dignitate ac præfectura tibi tradita magnopere gratulor; altero Reip. altero

 unius

quo Incolæ hujus Insulæ dicebantur Colossenses ad quos S. Paulus Apostolus scripserat. Verum brevi postea Rhodo sub potestatem Turcarum redacta, Equites Ierosolymitani Maltam Insulam Siciliæ adjacentem à Carolo V. Romanorum Imperatore Societati suæ donatam anno 1530. possederunt, quam & nunc tenent, unde modo Equites Militenses adpellantur, quemadmodum antea Rhodii fuerant adpellati.

unius ipsius atque proprie meo, optoque, ut & honor tibi iste salutaris, & tu societati tuae usui atque gloriae sis futurus: quod quidem plane confido fore. De me quidem tibi ipse omnia promittas volo, quae ab optimo atque optatissimo filio de Patre amantissimo sunt speranda. Non fallam opinionem tuam. Caeterum obsequii tui peregregia perque illustris significatio; quod mihi eaedem tuae literae Philippusque Provanus societatis Procurator tuis verbis praestiterunt, mihi gratissima accidit: eamque libenti animo sum complexus. Societas etiam ipsa tua, quam mihi magnopere commendas, quaeque mihi, tanquam de universa re Christiana optime merita, charissima per se est, erit post hac mihi tuo etiam nomine charior, proque ea Insulaque ista ab Turcarum cupiditate bellicisque apparatibus, de quibus scribis, tuenda & defendenda, si erit opus, nihil sum neque studii, neque diligentiae, neque omnino laboris praetermissurus. Certe non si vitam ipsam profundere me oporteat ea in re, tuae unquam societatis curam, tutelam, procurationem negligam. Quod te spondere ei meis verbis opto & volo: eamque bono animo esse atque forti jubeo. Cui quidem gratulor, quod te sibi Magistrum legerit, utque te ea, qua debet observantia prosequatur, quanquam id quidem me scribere pro antiqua ipsius in omnes Magistros pietate minus necesse est, eam tamen hortor. Etiam atque etiam mi Fabriti vale. Dat. VIII. Id. Feb. Anno primo. Roma.

X. SIGISMUNDO REGI POLONIÆ.

Perfertur ad me, seditionibus non negligendis in Pannonia (1) per factiosos homines & scelestos

(1) *i. e. in Hungaria. Regio enim illa, quae nunc Hungaria dicitur, Pannonia antea vocabatur, etsi*

lestos excitatis arma temere tractari, ac trucidari passim plurimos, & intestinum quoddam quasi bellum existere contra Vladislai Regis Pannoniæ fratris tui voluntatem. Itaque timendum esse, nisi ei rei quam celerrime occurratur, ne freti ac permoti ea occasione Turcæ Regnum illud convulsum jam per se ac debilitatum, ad quod quidem maxime omnium mentem atque animum adjecerunt, propterea, quod est cum suis Regnis conjunctissimum, ipsi integri collectis viribus adoriantur. Eo Regno atque populis vel sub jugum missis, (2) vel profligatis ac perditis, qui vos casus maneat, nemo est, qui non videat etiam tacente ac silente me. Eas ob res omnes te hortandum esse inprimis duco, ut vel sublato modis omnibus eo bello, quod te in præsentia intelligo cum Moscovitis exercere, vel, si fieri potest, suspenso atque in aliud tempus dilato ac rejecto, properes auxilium atque opem ferre fratri

 germano

longe aliis terminabatur limitibus, magisque occidentem versus, quam orientem extendebatur, adeo ut totus hic Europæ tractus, Austriam, Styriam, nec non Hungariam inferiorem complectens uno Pannoniæ nomine vocitaretur.

(2) *i. e. subjugatis, subjectis, in servitutem redactis. Jugum namque per Metaphoram quandoque accipitur pro servitute, vel tyrannide, ut patet ex his Ciceronis Phil.* 1. *verbis:* Patriæ liberatores urbe carebant ea, cujus à cervicibus jugum servile dejecerant. *Præterea fixae in terra duae hastae, super quas ligabatur tertia dicebant ir jugum, sub quo ignominiae gratia victi hostes inermes mitti solebant. Hinc originem trahit hæc latina phrasis;* sub jugum mittere, *quæ idem significat, ac potestati suae subjicere.*

germano tuo, exercitumque in Pannoniæ fines adducas. Non enim vereor, si te modo appropinquare populi illi senserint frátri suppetias allaturum, quin se omnes in officio contineant. Quod cum fecerint; etiam Turcis spem eripient primum quidem in Pannonios fratremque ipsum tuum, deinde in reliquos Christiani nominis populos atque gentes male cogitandi. Id abs te ita peto, ut quanquam videar tuorum etiam causa te cohortari atque commonefacere, tibi tamen nihilo sim minus ea de re debiturus, acsi mihi uni tantum, quantum postulo, tribuisses. Quintodecimo Cal. Aug. Anno secundo (3) Roma.

C. PLINII CÆCILII SECUNDI, EPISTOLÆ.

Cum notis ad modum Minellii.

EPISTOLA Ima.

CAIUS PLINIUS CANINIO Rufo suo.

Quid agit Comum tuæ meæque deliciæ? quid suburbanum amænissimum? quid illa porticus

(3) *i. e. anno secundo Pontificatus sui, qui in annum 1514. & 1515. inciderat. Unde inferendum est hanc epistolam scriptam fuisse non ad alium huius nominis Poloniæ Regem, sed ad Sigismundum I. Patrem Sigismundi Augusti hoc tempore, quo Leo X. Pontifex Max. creatus est, ab anno 1507. in Polonia regnantem.*

* *Floruit hic Plinius temporibus Traiani Imperatoris, circiter centum post CHRISTUM natum annis.*

ticus verna (1) semper? quid platanon (2) opacissimus? quid Euripus (3) viridis & gemmeus? quid subiectus & serviens lacus? (4) quid illa mollis & tamen solida gestatio? (5) quid balineum (6) illud, quod plurimus sol implet & circumit? quid triclinia (7) illa popularia? quid illa paucorum quid cubicula diurna nocturnaque? (8) Possidentne te & per vices partiuntur? an ut solebas, intentione rei familiaris obeundæ, crebris excursionibus avocaris? Si te possident, felix beatusque es, sin minus, unus ex multis. Quin tu (tempus est enim) humiles & sordi-

(1) *Ubi semper ver sentitur.*

(2) *Est locus platanis obsitus, quem* platanetum *etiam vocare posses.*

(3) *Erat ductus aquarum, quo aqua derivaretur per hortos, ut æstus redderetur lenior.*

(4) *Lacus qui horto subiacet & multis rebus inservit.*

(5) *Gestationes erant loci in hortis, ubi gestabantur ut sanitatem tuerentur, ut* Molis *id est voluptate plena* Solida; *id est, cui nihil deest, quæ omni ex parte absoluta.*

(6) *Balneum & balineum utrumque adhibetur promiscue.*

(7) *Romani sedendo cibum sumserant, deinde vero victis Asiæ populis modum accumbendi didicerant. Collocabant nempe in medio cœnaculi mensam rotundam & humilem. Circum mensam tres ut plurimum lecti erant unde* Triclinii *nomen. Duo interdum etiam lecti appositi erant ad mensam & hoc vocabant* Biclinium.

(8) *Notum enim quod Romani hodienum ob nimium calorem, qui in illis regionibus sentitur, etiam sub meridie somno indulgent.*

ſordidas curas aliis mandas, & ipſe te in alto iſto (9) pinguique ſeceſſu ſtudiis adſeris? Hoc ſit negotium tuum, hoc otium, hic labor, hæc quies; in his vigilia, in his etiam ſomnus reponatur. Effinge aliquid & excude quod ſit perpetuo tuum. Nam reliqua rerum poſt te alium atque alium dominum ſortientur; hoc nunquam tuum deſinet eſſe, ſi ſemel cœperit. Scio quem animum, quod horter ingenium. Tu modo enitere, vt tibi ipſe ſis tanti, quanti videberis aliis, ſi tibi fueris. Vale.

II. CAIVS PLINIVS CORNELIO Tacito ſuo S.

Ridebis, & licet, rideas. Ego ille, quem noſti, (2) apros tres, & quidem pulcherrimos, cepi. Ipſe? inquis. Ipſe: non tamen ut omnino ab inertia mea & quiete (3) diſcederem. Ad retia ſedebam erant in proximo, non venabulum aut lancea, ſed ſtylus & pugillares: meditabar aliquid, notabamque, ut, ſi manus vacuas plenas tamen ceras reportarem. Non eſt, quod condemnas hoc ſtudendi genus. Mirum eſt, ut ANIMUS Sagitatione motuque corporis excitetur, (4)

(9) Nonius Marcellus *de var. ſignif. c.* 4. *obſervat* altum *idem ſignificare ſæpe ac magnum vel magnificum, quæ ſignificatio hic non incommode adhiberetur.*

(1) *Non opus eſt hic aliquid de Tacito addere. Scripta enim illius omnium teruntur manibus & paſſim in epiſtolis his ſit mentio illius.*

(2) *Quem noſti non adeo eſſe exercitatum in his rebus.*

(3) *Vocat per modeſtiam ſtudiorum tractationem inertiam & quietem.*

(4) Iam undique ſylvæ & ſolitudo, ipſumque illud ſilentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt. Proinde quum venabere, licebit auctore me, vt panarium & lagunculam, ſic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus, quam Minervam inerrare (5) Vale.

III. CAIVS PLINIVS MINVTIO Fundano ſuo. S.

Mirum eſt, quam ſingulis diebus in vrbe ratio aut conſtat (2) aut conſtare videatur, pluribus iunctisque non conſtet. Nam ſi quem interroges: *Hodie quid egiſti?* reſpondeat. *Officio togæ* (3) *virilis interfui, ſponſalia aut nuptias* (4)

(4) *Vix hoc apud omnes valebit. Corpore enim fatigato, animus quoque torpet.*

(5) *Diana Venatorum Dea, Minerva vero ſtudiorum.*

(1) *Minutius Fundanus fuit eruditus & ſapiens, ut qui ſe ab ineunte ætate altioribus ſtudiis dederat. Proconſul Aſiæ ex Adriani reſcripto monitus eſt, ne ſine obiectu criminum Chriſtianos condemnaret.*

(2) *Quomodo ſingulos dies in urbe ita tranſigamus, ut, ſi ſingulas conſideras rationem habueris, vel ad minimum te rationem habuiſſe, videbitur, ſi vero omnes coniunctim examinas, pœnitebit te ita eos omnes tranſegiſſe & rationem nullam cur hoc feceris, te habuiſſe putabis.*

(3) *Invitabant enim Romani amiciſſimos, ſi liberi eorum virili toga uti incipiebant. Fuit vero toga veſtis lanea, qua in foro amiciebantur. Utebantur ea tum viri, tum fœminæ. Succeſſu*

as (4) *frequentavi. Ille me ad signandum testamentum, ille in advocationem, ille in consilium rogavit.* Hæc quo die feceris, necessaria eadem, si quotidie fecisse te putes, inania videntur, multo magis quum secesseris. Tunc enim subit recordatio: quot dies quam frigidis rebus absumsi! Quod euenit mihi, postquam in Laurentino (5) meo aut lego aliquid, aut scribo, aut etiam corpori vaco, cuius FULTURIS animus sustinetur. Nihil audio, quod audisse, nihil dico, quod dixisse pœniteat. Nemo apud me quenquam sinistris rumoribus carpit, neminem ipse reprehendo, nisi vnum me, quum parum commode scribo. Nulla spe, nullo timore solicitor, nullis rumoribus inquietor, mecum tantum & cum libellis loquor. O rectam sinceramq; vitam

tamen temporis honestiores fœminæ stola *utebantur &* togatæ mulieres *æquivalebant meretricibus.* Virilis toga *erat, quæ dabatur pueris ætatem virilem ingredientibus vel circa annum XV. interdum & XIX. & tunc vocabantur Tyrones. Vocabatur etiam* toga pura, *quia albi coloris nulla purpura admixta. Item* libera, *quia pueris signum libertatis erat.* Recta, *quia texebatur a stantibus & ab inferiori togæ parte incipiebatur, ut in altitudinem opus assurgeret. Simpliciter quoque* toga *dicebatur & in templo Iovis in Capitolio induebatur præsentibus amicis.*

(4) Sponsalia *a sponsione dicta. Is enim qui ducturus erat uxorem ab eo, unde ducenda, eam postulabat, & alter illam spondebat.*

(5) *Idem quod & Laurens. Situm fuit hoc prædium ad oppidum* Laurentum, *quod erat in antiquo* Latio *ad Tiberim.*

vitam! o dulce otium (6) honeſtumque, ac pene omni negotio pulcrius! o mare! o littus! verum ſecretumque muſeum (7) quam multa invenitis, quam multa dictatis. Proinde tu quoque ſtrepitum iſtum inanemque discurſum & multum ineptos labores, ut primum fuerit occaſio, relinque, teque ſtudiis vel otio trade. Satius eſt enim, ut Attilius (8) noſter eruditiſſime simul & facetiſſime dixit, OTIOSUM (9) eſſe, quam nihil agere (10) Vale.

IV. CAIVS PLINIVS SOSIO Senecioni ſuo S.

MAgnum proventum (1) poetarum annus hic attulit. Toto menſe Aprili nullus fere dies quo non recitaret (2) aliquis. Iuvat me quod vigent ſtudia, proferunt ſe ingenia hominum & oſtentant: tametſi ad audiendum pigre cogitur. Pleriq; in ſtatio-

(6) *Otium hic ſignificat tempus, quando ab ordinariis laboribus remittimus, & ad magis iucundiora procedimus.*

(7) *Muſeum vel domicilium Muſis aptum & a turbis remotum.*

(8) *Intelligit ſine dubio* Attilium Creſcentem, de *quo* lib. 6. Ep. 8. Noſti Attili Creſcentis facetias. *Tres tamen adhuc eo tempore Attilii extiterunt.*

(9) *Studiis incumbere ut iam dixerat:* teque ſtudiis vel otio trade.

(10) *Quam inanibus rebus tempus conſumere.*

(1) *Proprie hæc vox ſignificat id, quod ex terra* provenit *ad commodum noſtrum, adhibeturque de* frugibus.

(2) *Mos erat Romanorum laude digniſſimus, ut, quando aliquid ſcripto conſignaſſent, præſentibus amicis aliisque quibus placebat, illud* recitarent.

ſtationibus (3) ſedent, tempusque audiendis fabulis conterunt, ac ſubinde ſibi nunciari iubent, an iam recitator intraverit, an dixerit præfationem, an ex magna parte evolverit librum (4) tum demum, ac tunc quoque lente cunctanterque, veniunt. Nec tamen permanent, ſed ante finem recedunt, alii diſſimulanter & furtim, alii ſimpliciter & libere. At hercule (5) memoria parentum Claudium Cæſarem ferunt, quum in palatio ſpaciaretur, audiſſetque clamorem, cauſam requiſiſſe; quumque dictum eſſet, recitare Nonianum, ſubitum recitanti inopinatumque veniſſe. Nunc otioſiſſimus quisque multo ante rogatus, & identidem admonitus aut non perdiderit (6) perdidiſſe. Sed tanto magis laudandi probandique ſunt, quos a ſcribendi recitandique ſtudio hæc auditorum vel deſidia vel ſuperbia non retardat. Equidem prope nemini defui; erant ſane plerique amici; neque enim eſt fere quisquam, qui ſtudia, vt non ſimul & nos amet. His ex cauſis longius, quam deſtinaveram, tempus in vrbe conſumpſi. Poſſum iam repetere ſeceſſum & ſcribere aliquid, quod non recitem: ne videar, quorum recitationibus affui, non auditor fuiſſe, ſed creditor. (7) Nam vt ceteris rebus, ita

(3) *Intelliguntur hic* loca publica, *in quæ poſt negotia ſolebant convenire cives Romani ut* confabularentur.

(4) *Recitarit librum.*

(5) *Eſt iurandi formula* maribus *tantum adhibita, cum e contra fœminæ deierarent per* Caſtorem & Pollucem.

(6) *Quia non inanibus rebus tranſegit diem.*

(7) *Ne videar is, qui velit munus auditoris propterea ſuſcipere, ut illi, quos audivi, rurſus auditores ſe mihi præbeant recitanti.*

ita audiendi officio PERIT gratia, si reposcatur Vale.

V. CAIVS PLINIVS EVRICIO 1. suo S.

Amabam Pompeium Saturninum, hunc dico nostrum (2) laudabamque eius ingenium etiam antequam scirem, quam varium, qam flexibile, quam multiplex (3) esset: nunc vero totum me tenet, habet, possidetque. Audivi causas agentem acriter & ardenter, nec minus polite & ornate sive meditata, sive subita proferret. Adsunt acutæ crebræque sententiæ, gravis & decora constructio, sonantia verba & antiqua (4) Omnia hæc mire placent, cum impetu quodam & flumine prævehuntur; placent, si retractentur. Senties quod ego quum orationes eius in manus sumpseris; quas facile cuilibet veterum, quorum est æmulus, comparabis.

(1) *Fuit hic Euricius vir integer, antiqua fide disertus Patronus, & constans morum veterum studiosissimus, præfecturam urbis gessit: bis Consul fuit, Sub altero illius consulatu nascitur Severus, qui postea imperavit.*

(2) *i. e. hunc intelligo, qui est amborum nostrorum amicus integerrimus. Unde simul videtur clarum,* fuisse adhuc alios Saturninos, *eo tempore.*

(3) Synonyma *hæc sunt,* unum enim explicat alterum. *Hoc vero indicat Plinius: ingenium illius ita esse comparatum, ut occasionem sumat modo de hac, modo de illa re aliquid componendi.*

(4) *Antiqua hic vocat quæ* Terentii, Ciceronis, Cæsaris &c. *tempore erant in usu. Plus quam centum vero effluxerant anni, cum hæc scriberet Plinius.*

parabis. Idem tamen in historia tibi magis satisfaciet vel brevitate, vel luce vel svavitate, vel splendore etiam, & sublimitate narrandi. Nam in concionibus (5) idem qui in orationibus est; pressior tamen, & circumscriptior & adductior. Praeterea facit versus, quales Catullus meus (6) aut Calvus (7) Quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis (8) amoris. Inserit sane, sed data opera mollius leniusque duriusculos quosdam & hos quasi Catullus meus aut Calvus. Legit mihi nuper epistolas, quas vxoris esse dicebat. Plautum vel Terentium (9) metro solutum legi credidi: quae sive vxoris sunt, vt affirmat, sive ipsius, vt negat, pari gloria dignus est, qui aut illa componat, aut uxo-

(5) *Iuxta* Festum *apud antiquos* Concio *in masculino usurpatur, & significabat* conventum tantum eum, qui a magistratu, vel a sacerdote publico per praeconem convocabatur. *Deinde* Orationes, *quae coram tali coetu habebantur,* conciones *vocatae. Per applicationem vero & illi sermones, qui ad milites vel alios congregatos habebantur,* conciones *vocati sunt. Et hoc ultimum genus noster intelligit.*

(6) *Addit* meus, *quia vehementer eius* Hendecasyllabo, *capiebatur quemadmodum & ipse* Hendecasyllaba *in secessu saepissime composuit. Floruit autem* Catullus *tempore* Iulii Caesaris.

(7) *Fuit* Epigrammatum scriptor & Orator *optimus, amicissimus Catulli. Scripta vero illius interierunt.*

(8) *Intelligit aculeos, quibus vehementissime saepe punxerit.*

(9) *Quis* Plautus & Terentius *fuerit, omnibus notum. Nempe* Comici *celeberrimi tempore tertii belli Punici. Restant nobis de plus quam*

vxorem, quam virginem accepit, tam doctam politamque reddiderit. Eſt ergo mecum per diem totum eundem antequam ſcribam, eundem quum ſcripſi, eundem etiam quam remittor, non tanquam eundem (10) lego. Quod te quoque, vt facias, & hortor & moneo. Neque enim debet operibus eius obeſſe, quod vivit. An, ſi inter eos, quos nunquam vidimus, floruiſſet, non ſolum libros eius, verum etiam imagines conquireremus: eiusdem nunc honor præſentis & gratia quaſi ſacietate langueſcet? At hoc PRAVVM MALIGNVMQVE eſt, non admirari hominem admiratione dignisſimum, quia videre, alloqui, audire, complecti, nec laudare tantum, verum etiam amare contingit. Vale.

CAIVS PLINIVS AVITO ſuo S.

Longum eſt altius repetere, nec refert, quemadmodum acciderit, ut homo minime familiaris cœnarem apud quendam, ut ſibi videbatur lautum, & diligentem, ut mihi ſordidum ſimul & ſumptuoſum: nam ſibi & paucis optima quædam, ceteris vilia & minuta ponebat, vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera deſcripſerat, non ut poteſtas eligendi, ſed ne ius eſſet recuſandi; & aliud ſibi & nobis, aliud minoribus amicis, (nam gradatim amicos habet) aliud ſuis noſtrisque libertis. Animadvertit, qui mihi proximus recumbebat, & *an probarem*, interrogavit. Negavi. *Tu ergo*, inquit,

quam centum comœdiis Plauti tantum XX. & de viginti quatuor Terentii VI: reliquæ omnes perierunt. Iambicis autem verſibus ambo ſua elaborarunt.

(10) *Semper deprehendo aliquid novi, quod antea non obſervaveram.*

quam consuetudinem sequeris? Eadem omnibus pono, ad cœnam enim, non ad notam (1) invito: cunctisque rebus exæquo (2) quos mensa & toro (3) æquavi. *Etiamne libertos?* Etiam. Convictores enim tunc, non libertos, puto. Et ille, *Magno tibi constat.* Minime. *Qui fieri potest?* Quia scilicet liberti non idem, quod ego, bibunt, sed idem ego, quod liberti. Et hercule, SI GVLÆ temperes, non est onerosum quo utaris ipse, communicare cum pluribus. Illa ergo reprimenda, illa quasi in ordinem redigenda est, si sumptibus parcas, quibus aliquanto rectius tua continentia quam aliena contumelia consulas. Quorsum hæc? Ne tibi optimæ indolis iuveni quorundam in mensa luxuria specie frugalitatis imponat. Convenit autem amori in te meo, quoties tale aliquid inciderit, sub exemplo præmonere, quid debeas fugere. Igitur memento, NIHIL MAGIS esse vitandum, quam illam luxuriæ & sordium novam societatem: quæ cum sint turpissima, discreta ac separata, turpius junguntur. Vale.

VII. CAIUS PLINIUS MAURICO suo S.

Quid a te iucundius mihi potuit iniungi, quam ut Præceptorem fratris tui liberis quærerem

(1) *Invito eos ad cœnandum & ut honor eis habeatur, non vero ut contumelia eos afficiam & notam constituam, quos magis aut minus æstimem.*

(2) *In omnibus ostendo me æque omnibus bene cupere.*

(3) *Pro lectulo usurpatur. Est autem* mensa & toro omnes æquare, *omnes ad cœnam invitatos æquo honore prosequi. Torus* vero *dicitur a* tortis herbis, *quæ accumbentium humeris supponebantur.*

rem? Nam beneficio tuo in scholam redeo (1) & illam dulcissimam ætatem quasi resumo. Sedeo inter iuvenes, ut solebam: atque atiam experior, quantum apud illos auctoritatis ex studiis habeam. Nam proxime frequenti auditorio inter se coram multis ordinis nostri (2) clare iocabantur: intravi, conticuerunt. Quod non referrem, nisi ad illorum magis laudem, quam ad meam pertineret; ac nisi sperare vellem, posse fratris tui filios probe discere. Quod superest, quum omnes, qui profitentur, audiero, quid de te quoque sentiam, scribam: efficiamque, quantum tamen epistola consequi potero (3) ut ipse omnes audisse videaris. Debeo enim tibi, debeo memoriæ (4) fratris tui hanc fidem, hoc studium, præsertim super tanta re. Nam quid magis interest vestra, quam ut liberi (dicerem tui, nisi nunc illos magis amares) digni illo patre, te patruo reperiantur? Quam curam mihi etiamsi non mandasses, vindicassem. Nec ignoro SUSCIPIENDAS offensas (5) in eligendo Præceptore: sed oportet me non modo offensas, verum etiam simultates (6) pro fratris tui filiis tam æquo animo subire, quam Parentes pro suis. Vale.

 VII. CA-

(1) *Recordor rursus vitæ illius scholasticæ.*
(2) *Qui eadem actoritate qua ego pollebant.*
(3) *Quantum quidem exprimere potero epistola.*
(4) *Debeo hoc fratri tuo, qui tot meritis se memoria reddidit dignum.*
(5) *Quilibet enim Rhetorum dignum se iudicabat, ut posset liberis illis præesse, & tamen seligendus erat unus.*
(6) *Necesse est, ut patiar multos Rhetores, clam inimicitiam gerere contra me, quando alterum alteri præfero.*

VIII. CAIVS PLINIUS CORNELIO Tacito ſuo S. *

SAlvum te in vrbem veniſſe gaudeo. Veniſti autem, ſi quando alias, nunc maxime mihi deſideratus, Ipſe pauculis adhuc diebus in Tuſculano commorabor, vt opuſculum, quod eſt in manibus, abſolvam. Vereor enim, ne,ſi hanc intentionem iam in finem laxavero (1) ægre reſumam. Interim ne quid feſtinationi meæ pereat, quod ſum præſens petiturus, hac quaſi præcurſoria epiſtola rogo. Sed prius accipe cauſas rogandi, deinde ipſum quod peto. Proxime quum in patria mea (2) fui, venit ad me ſalutandum municipis mei filius prætextatus. (3) Huic ego, *Studes?* inquam; reſpondit, *Etiam. Vbi? Mediolani. Cur nonhic?* & pater eius (4) (erat enim vna, etiam ipſe adduxerat

(1) *Sine dubio hic falſa erit lectio atque aliquid reſtituendum. Legunt vero quidam recentius vulgati codices:* in fine intermiſero, *ſed cum vox plane nova textui inſeratur, videtur quod hæc magis ſit* explicatio, *quam* textus reſtitutio. *Mallem igitur cum aliis* iam in fine laxavero. *Facile enim potuit fieri, ut ſcriba male attentus litteram adiecerit, quæ fuiſſet omittenda. Clariſſimum autem eſt* intentionem laxare *ſignificare nihil aliud, quam* non tanto ſtudio atque diligentia *rem tractare, ſed paulisper eam ſeponere.*

(2) Comum *intelligit.*

(3) *Prætexta vocabatur illud togæ genus, quod in ora purpuram admiſtam habuit. Utebantur ea pueri, donec annum XVI. ingrederentur. Sacerdotes quoque, & qui aliquem Magiſtratum in Republica obtinebant, prætextâ veſtiebantur.*

(4) *ſcil. reſpondit.*

rat puerum) *Quia nullos hic Præceptores habemus. Quare nullos? nam vehementer intererat vestra, qui Patres estis,* (& opportune complures Patres audiebant) *liberos vestros hic potissimum discere. Vbi enim aut iucundius morarentur, quam in patria? aut pudicius continerentur, quam sub oculis Parentum? aut minore sumptu, quam domi? Quantulum est ergo collata pecunia conducere Præceptores? quodque nunc inhabitationes, in viatica in ea quæ peregre emuntur, impenditis, adiicere mercedibus? Atque adeo ego, qui nondum liberos habeo, paratus sum pro Republica, quasi pro filia vel Parente tertiam partem eius, quod conferre vobis placebit, dare. Totum etiam pollicerer, nisi timerem, ne hoc munus meum quandoque ambitu corrumperetur:* (5) *ut accidere multis in locis video, in quibus Præceptores publice conducuntur. Huic vitio uno remedio occurri potest, si Parentibus solis ius conducendi relinquatur, iisdemque religio* (6) *recte iudicandi necessitate collationis addatur. Nam qui fortasse de alieno negligentes, certe de suo diligentes erunt: dabuntque operam, ne eam a me pecuniam non nisi dignus accipiat, si accepturus & ab ipsis erit. Proinde consentite, conspirate, maioremque animum ex meo sumite, qui cupio esse quam plurimum, quod debeam*

(5) *Ne dum multi forte munus illud deinde ambirent, iique indigni, pecunia mea male sit collocata.*

(6) *Cum* religio *nihil aliud sit* quam certus cultus, quo Deo reverentiam exhibeo, *ad certum vero illum cultum ego obstringar conscientia, hinc factum, ut vox* religionis *pro* ipsa conscientia *sæpissime adhibita sit.*

conferre (7) *Nihil honestius præstare liberis vestris, nihil gratius patriæ potestis. Edoceantur hic, qui hic nascuntur, statimque ab infantia natale solum amare, frequentare consuescant. Atque vtinam tam claros Præceptores inducatis, vt a finitimis oppidis studia hinc petantur! vtque nunc liberi vestri aliena in loca, ita mox alieni in hunc locum confluant!* Hæc putavi altius, & quasi a fonte repetenda; quo magis scires, quam gratum mihi foret, si susciperes, quod iniungo. Iniungo autem, & pro rei magnitudine rogo, vt ex copia studiosorum quæ ad te ex admiratione ingenii tui convenit, circumspicias Præceptores, quos solicitare possimus; sub ea tamen conditione, ne cui fidem meam obstringam. Omnia enim libera parentibus servo. Illi iudicent, illi eligant: ego mihi curam tantum & impendium vindico. Proinde si quis fuerit repertus, qui ingenio suo fidat, eat illuc ea lege, vt hinc nihil aliud certum, quam fiduciam suam ferat. Vale.

IX. CAIVS PLINIUS CANINIO suo S.

INcidi in materiam veram, sed simillimam fictæ, dignamque isto lætissimo (1) altissimo, planeque poëtico ingenio. Incidi autem, dum super cœnam varia miracula (2) hinc inde referuntur. Magna auctoris fides: tametsi quid Poëtæ cum fide? Is tamen auctor, cui bene vel historiam scri-pturus

(7) *Qui libenter etiam magnam quotannis summam numerare decrevi, quod vos debet instigare, ut simile quid animo concipiatis.*

(1) *Lætissimum ingenium est illud, quod semper est occupatum festivis inventionibus, iisque solis delectatur.*

(2) *Res quæ admirationem excitant.*

pturus credidiſſes. Eſt in Africa Hipponenſis colonia mari proxima: adiacet ei navigabile ſtagnum, ex quo, in modum fluminis æſtuarium emergit (3) quod vice alterna prout æſtus aut repreſſit, aut impulit, nunc infertur mari, nunc redditur ſtagno. Omnis hic ætas piſcandi, navigandi, atque etiam natandi ſtudio tenetur, maximé puerorum, quos otium ludusque ſolicitat. His gloria & virtus altiſſime provehi: victor ille qui longiſſime vt littus, ita ſimul nantes, reliquit. Hoc certamine puer quidam, audentior cæteris, in ulteriora tendebat: delphinus occurrit, & nunc præcedere puerum, nunc ſequi, nunc circuire; poſtremo ſubire, deponere: iterum ſubire, trepidantemque perferre primum in altum; mox flectit ad littus, redditque terræ & æqualibus. Serpit per coloniam fama: concurrere omnes ipſum puerum tanquam miraculum aſpicere, interrogare, audire, narrare. Poſtero die obſident littus, proſpectant mare, & ſi quid eſt mari ſimile. (4) Natant pueri: inter hos ille, ſed cautius. Delphinus rurſus ad tempus, rurſus ad puerum venit. Fugit ille cum cæteris. Delphinus, quaſi invitet, revocet, exilit, mergitur, variosque orbes implicat, (5) expeditque. Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus, donec homines innutritos mari ſubiret timendi pudore: accedunt, & alludunt, & appellant (6) tangunt etiam, per-

E 4

(3) Æſtus *maris eſt, quando mare ventis motum fervet quaſi undis & fluctibus inter ſe pugnantibus. Æſtuarium igitur erit aliqua aquarum collectio ab æſtu maris orta.*

(4) *Ut æſtuarium vel ſtagnum.*

(5) *Dum in gyrum circumnatat in aqua.*

(6) *Nomen, quod delphinis imponere ſolebant, erat* Simon, *quia* roſtrum *eis* ſimum.

pertrectantque præbentem (7) Crescit audacia experimento (8) Maxime puer, qui primus expertus est, adnatantis insilit tergo; fertur, refertur que; agnosci se, amari putat; amat ipse, neuter timet, neuter timetur. Huius fiducia mansuetudo illius augetur: nec non alii pueri dextra læuaque simul eunt hortantes monentesque. Ibat vna (id quoque mirum) delphinus alius, tantum spectator & comes. Nihil enim simile aut faciebat, aut patiebatur: sed alterum illum ducebat, vt puerum cæteri pueri. Incredibile (tam verum tamen quam priora,) delphinum gestatorem collusoremque puerorum in terram quoque extrahi solitum, arenisque siccatum, vbi incaluisset, in mare revolvi. Constat Octavium Avitum, legatum Proconsulis in littus educto religione praua (9) superfudisse unguentum: cuius illum novitatem odoremque in altum refugisse, nec nisi post multos dies visum languidum & mœstum, mox redditis viribus priorem lasciviam & solita ministeria repetisse. Confluebant ad spectaculum omnes magistratus, quorum adventu & mora, modica Respublica novis sumptibus (10) atterebatur. Postremo locus ipse quietem (11) suam secretumque perdebat. Placuit occulte interfici, ad quod coibatur

(7) *Qui se præbebat, ut posset tangi.*

(8) *Dum vident eum admittere, ut cum eo ludant, semper redduntur audaciores.*

(9) *Pravam vocat religionem, quia putavit Proconsul divini quoddam latuisse in delphino.*

(10) *Omnia enim, quæ tantis viris necessaria, eis erant præbenda, quo fiscus exhauriebatur.*

(11) *Non amplius tanquam ignoti, in quiete laboribus sibi utilitatem afferre poterant illius incolæ.*

coibatur. Hæc tu qua miseratione, qua copia deflebis, ornabis, attolles? Quanquam non est opus, affingas aliquid, aut adstruas, sufficit, ne ea quæ sunt vera, minuantur. Vale.

X. CAIUS PLINIUS TRAIANO Imp. S.

SOlemne est mihi (1) Domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem (2) meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus (3) de Christianis interfui nunquam; ideo nescio, quid & quatenus aut puniri soleat, aut quæri. Nec mediocriter hæsitavi, sit ne aliquod discrimen ætatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant; deturne pœnitentiæ venia (4) an ei, qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit: nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, (5) an flagitia cohærentia nomini (6) puniantur. Interim in

 iis

(*) *Monumentum hoc est, omnium, quæ de veteribus Christianis extant, optimum, quippe ab hoste religionis Christianæ conservatum. Est autem scripta hæc Epistola, cum Plinius in Ponto & Bithynia Proconsulem ageret.*

(1) *In more mihi est positum.*

(2) *Quando in dubio constitutus, nolo rem maturare, nisi prius scrupuli mihi fuerint exempti.*

(3) *Viderat forte* Domitiani *tempore multos Christianos neci fuisse traditos, ipse tamen nunquam iudex in Christianorum causa fuerat.*

(4) *An dimittendus sit ille, qui negaverit, se velle Christianos amplius sectari.*

(5) *Tantum fuit Christianorum odium, ut etiam ob solum nomen sæpe morti traderentur.*

(6) Nolebant *fateri gentiles, se nomen tantum odio prosequi, sed ingentia adhuc crimina eis impingebant.*

iis, qui ad me tanquam Chriſtiani deferebantur, hunc ſum ſequutus modum. Interrogavi ipſos, an eſſent Chriſtiani? confitentes, iterum ac tertio interrogavi ſupplicium minatus: perſeverantes duci (7) iuſſi. Neque enim dubitabam, qualecunque eſſet, quod faterentur, pervicaciam, certe & inflexibilem obſtinationem debere puniri. Fuerunt alii ſimilis amentiæ: quos, quia cives Romani (8) erant, annotavi (9) in vrbem remittendos. Mox ipſo tractatu (10) vt fieri ſolet, diffundente ſe crimine, plures ſpecies inciderunt. Propoſitus eſt libellus (11) ſine auctore multorum nomina continens: qui negarent (12) ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe, quum præeunte (13) me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc iuſſeram cum ſimulacris Numinum

(7) *ſcil. ad ſupplicium.*

(8) *Magna enim privilegia civibus erant Romanis. Lex* Porcia *ſtatuerat,* ne quis civem Romanum *virgis cæderet, aut necaret: ſed* damnato exilium permitteret. Sempronia *cavebat,* ne de capite civium Romanorum iniuſſu populi *iudicaretur.*

(9) *Vox hæc iuris Conſultorum.* Adnotare *enim iudex dicitur, ſi aliquid decernit, quod ſcribi atque in acta referri iubet.*

(10) *Cum inquiſitio ſuſciperetur ſucceſſu temporis, multi alii crimine implicabantur.*

(11) *Accuſatorius.*

(12) *Forte hi quamvis gentiles benignius ſenſerunt de Chriſtianis, atque hoc modo anſam præbuerunt aliis, ſe accuſandi quaſi Chriſtianiſmo deditos.*

(13) *Invocavit primus Deos Plinius, quem reliqui ſunt ſecuti.*

minum afferri, thure ac vino ſupplicarent, præterea maledicerent Chriſto: (14) quorum nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt re vera Chriſtiani. Ergo dimittendos putavi. Alii ab indice (15) nominati, eſſe ſe Chriſtianos dixerunt, & mox negaverunt; fuiſſe quidam, ſed deſiſſe, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes & imaginem tuam, Deorumque ſimulacra venerati ſunt, ii & Chriſto maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam (16) vel culpæ ſuæ vel erroris, quod esſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire carmenque Chriſto quaſi DEO dicere ſecum invicem, ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent; quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſusque coëundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen, & innoxium: quod ipſum facere deſiſſe poſt edictum meum, quo ſecundum mandata tua hetærias (17) eſſe vetueram. Quod magis necesſarium credidi, ex duabus ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet veri & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inveni, quam ſuperſtitionem pravam (18) & immo-

(14) *Maximus hic impietatis gradus, ex quo tamen certiſſimum ſumebatur ethnicis ſignum, aliquem non adhærere Chriſto.*

(15) *A delatore, qui libellum compoſuerat accuſatorium.*

(16) *In eo conſiſtere omne illud, ob quod rei ſint facti.*

(17) Hetæriæ *Græcis ſodales ſunt eiuſdem collegii. Nolebat vero tales concedere conventus Traianus metu ſeditionis.*

& immodicam (19) Ideoque dilata cognitione, ad consulendum te decurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, vtriusque sexus etiam, vocantur in periculum, & vocabuntur: neque enim ciuitates tantum, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata est. Quæ videtur sisti & corrigi posse. Certe satis constat, prope iam desolata templa (20) cœpisse celebrari, & sacra solennia diu intermissa repeti, passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus.

M. TVLLII CICERONIS LÆLIVS,

VEL

De Amicitia, Dialogus ad Pomp. Atticum.

INTERLOCVTORES.

C. LÆLIVS, Q. MVTIVS SCÆVOLA, ET CAIVS FANNIVS.

Quintus Mutius Augur Scævola multa narrare de C. Lælio socero suo memoriter & iucunde

(18) *Legibus enim vetitum erat, aliam inducere religionem.*

(19) *Maximus hominum numerus huic superstitioni erat deditus.*

(20) *Cum enim tanta multitudo converteretur ethnicorum, claudebantur templa, atque cultus Deorum intermittebatur. Resumptus deinde fuit ille, quum persecutio oriretur, & tormentis adigerentur homines ad relinquendum Christianismum.*

de ſolebat, nec dubitare illum in omni ſermone appellare *ſapientem*. Ego autem a patre ita eram deductus ad Scævolam ſumpta virili toga, ut quoad poſſem, & liceret, a ſenis latere nunquam diſcederem. Itaque multa ab eo prudenter diſputata, multa etiam breviter & commode (1) dicta, memoriæ mandabam, fierique ſtudebam eius prudentia doctior. Quo mortuo, me ad Pontificem Scævolam contuli: quem unum noſtræ civitatis, & ingenio & induſtria præſtantiſſimum audeo dicere. Sed de hoc alias: nunc redeo ad Augurem. Quum ſæpe multa narraret, tum memini domi in hemicyclio (2) ſedentem (ut ſolebat) quum & ego eſſem una, & pauci admodum familiares, in eum ſermonem illum incidere, qui tum fere multis erat in ore. Meminiſti enim profecto (ut opinor) Attice, & eo magis, quod P. Sulpitio utebare multum, quum is Tribunus Plebis capitali odio a Q. Pompeio, qui tum erat Conſul, diſſideret, qui cum (3) coniunctiſſime & amantiſſime vixerat, quanta hominum eſſet vel admiratio vel querela. Itaque tum Scævola, quum in eam ipſam mentionem incidiſſet, expoſuit nobis ſermonem Lælii de *Amicitia* habitum ab illo ſecum, & cum altero genero C. Fannio Marci filio, paucis diebus poſt mortem Africani. Eius diſ-

(1) *Iuxta exigentiam temporis, loci, perſonarum* &c.

(2) Hemicyclion *ſemicirculum ſignificat: hic vero accipitur pro* conſeſſu; *nam ubi plures ſedent colloquia miſcentes, circulum, vel ſemicirculum efficiunt. Nonnulli* hemicyclion *ſellam appellari volunt in modum ſemicirculi conformatam.*

(3) Qui cum *pro cum quo.*

disputationis sententias memoriæ mandavi, quas in hoc libro exposui meo arbitratu. Quasi enim ipsos introduxi loquentes, ne, *inquam*, & *inquit* sæpius interponeretur: atque ut tanquam a præsentibus coram haberi sermo videretur. Quum enim sæpe mecum ageres, Attice, ut de Amicitia scriberem aliquid, digna mihi res tum omnium cognitione, tum nostra familiaritate visa est. Itaque feci non invitus, ut prodessem multis tuo rogatu. Sed ut in Catone maiore feci, qui est scriptus ad te de Senectute, Catonem induxi senem disputantem, quia nulla videbatur aptior persona, quæ de illa ætate loqueretur, quam eius; qui & diutissime senex fuisset, & in ipsa senectute præ cæteris floruisset: sic quum accepissemus a patribus, maxime memorabilem C. Lælii & P. Scipionis familiaritatem fuisse, C. Lælii persona visa est idonea mihi, quæ de Amicitia ea ipsa dissereret, quæ disputata ab eo meminisset Scævola. Genus autem hoc sermonum positum in hominum veterum auctoritate, & eorum illustrium, plus (nescio quo pacto) videtur habere gravitatis. Itaque mea ipsa legens afficior interdum, ut Catonem, non me, loqui existimem. Sed ut tum ad senem senex de Senectute, sic in hoc libro ad amicum amicissimus de Amicitia scripsi. Tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior: nunc Lælius, & sapiens (sic enim est habitus) & amicitiæ gloria excellens, de Amicitia loquitur. Tu velim a me animum parumper avertas, Lælium loqui ipsum putes. *C. Fannius & Q. Mutius ad socerum veniunt post mortem Africani* (4), *ab his sermo oritur: Respondet Lælius,*

(4) *Scipionis Æmiliani, qui finito tertio bello Punico & Carthagine diruta,* Africani secun-

lius, cuius tota disputatio est de Amicitia: quam legens tu ipse cognosces. FANNIVS. Sunt ista vera Læli; nec enim melior vir fuit Africano quisquam, nec clarior: sed existimare debes, omnium oculos in te esse coniectos: nunc te sapientem & appellant, & existimant. Tribuebatur hoc modo M. Catoni: scimus L. Acilium apud patres nostros appellatum esse *sapientem*: sed uterque alio quodam modo. Acilius, quia prudens esse in iure civili putabatur: Cato, quia multarum rerum usum haberet, multaque eius & in Senatu & in foro vel provisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acute ferebantur; propterea quasi cognomen iam habebat in senectute *sapientis*. Te autem alio quodam modo dicunt, non solum natura & moribus, verum etiam studio & doctrina esse *sapientem*: nec sicut vulgus, sed ut eruditi solent appellare sapientem, qualem in reliqua Græcia neminem. Nam qui *septem* appellantur, eos, qui ista subtilius quærunt, in numero sapientum non habent. Athenis unum (5) accepimus, & eum quidem etiam Apollinis oraculo sapientissimum iudicatum. Hanc esse in te sapientiam existimant, ut omnia tua in te posita esse ducas, humanosque casus virtute inferiores esse putes. Itaque ex me quærunt, credo & ex hoc item Scævola, quonam pacto mortem Africani feras: eoque magis, quod his proximis Nonis

di *cognomen adeptus est. Vocatus est etiam* Numantinus, *ob eversam Numantiam Hispaniæ urbem. Erat is nepos adoptivus Scipionis* Africani primi, *qui alterum Punicum confecerat bellum.*

(5) *Solonem, qui leges Atheniensibus præscripserat.*

nis (6) cum in hortos D. Bruti Auguris commentandi (7) caufa (ut affolet) veniffemus, tu non adfuifti: qui diligentiffime femper illum diem & illud munus folitus effes obire. SCÆVOLA. Quærunt quidem C. Læli multi, ut eft a Fannio dictum: fed ego id refpondeo, quod animadverti, te dolorem, quem acceperis cum fummi viri, tum amantiffimi morte, ferre moderate: nec potuiffe non commoveri, nec fuiffe id humanitatis (8) tuæ. Quod autem his Nonis in noftro collegio non affuiffes, valetudinem caufam, non mœftitiam fuiffe. LÆLIVS. Recte tu quidem Scævola, & vere. Nec enim ab ifto officio (9), quod femper ufurpavi, cum valerem, abduci incommodo meo debui: nec ullo cafu arbitror hoc conftanti homini poffe contingere, ut ulla intermiffio fiat officii. Tu autem, Fanni, qui mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnofco, nec poftulo, facis amice: fed (ut mihi videris) non recte iudicas de Catone: aut enim nemo, (quod quidem magis credo) aut fi quifquam, ille fapiens fuit. Quomodo enim (ut alia omittam) mortem filii tulit? Memineram Paulum, videram Gallum: fed hi ne comparentur Catoni maximo & fpectato viro. Quamobrem cave Catoni anteponas, ne iftum quidem ipfum, quem Apollo (ut ais) fapientiffimum iudicavit. Huius (10) enim facta, illius (11) dicta laudantur. De me autem

(6) *Kalendœ, Nonœ & Idus folennes erant Romanis.*
(7) *Colloquendi.*
(8) *Inhumanus enim effet, fi obitu tanti viri non commoveretur.*
(9) *Veniendi in confeffum proximis Nonis.*
(10) *Catonis.*
(11) *Solonis.*

autem (ut iam cum utroque loquar) ſic habetote. Ego ſi Scipionis deſiderio me moveri negem, quam id recte faciam, viderint ſapientes: ſed certe mentiar. Moveor enim tali amico orbatus, qualis (ut arbitror) nemo unquam erit: &, ut confirmare poſſum, nemo certe fuit. Sed non egeo medicina: me ipſe conſolor, & maxime illo ſolatio, quod eo errore careo, quo amicorum deceſſu plerique angi ſolent. Nihil enim mali accidiſſe Scipioni puto: mihi accidit, ſi quid accidit. Suis autem incommodis graviter angi, non amicum, ſed ſe ipſum amantis eſt. Cum illo (12) vero quis neget actum eſſe præclare? Niſi enim (quod ille minime putabat(immortalitatem (13) optare vellet, quid non eſt adeptus, quod homini fas eſſet optare? Qui ſummam ſpem civium, quam de eo iam puero habuerant, continuo adoleſcens incredibili virtute ſuperavit: qui Conſulatum petiit nunquam, factus eſt Conſul bis, primum ante tempus (14), iterum ſibi ſuo tempore, Reipublicæ pene ſero: qui duabus urbibus (15) everſis, inimiciſſimis huic Imperio, non modo præſentia, verum etiam futura bella delevit.

(12) *Cum Scipione, qui ſupremum obiit diem.*
(13) *In hac vita.*
(14) *L. Villius Tribunus Plebis Legem tulerat Anno Vrbis conditæ 573. ne Conſulatum obtinere liceret, qui nondum 42. ætatis compleſſet annum. At vero Scipio 38. annorum erat, cum Conſul factus eſt. Alter vero eius Conſulatus incidit in annum ætatis 51. quo abſoluto, quinquennio poſt e vivis exceſſit: quamobrem quœritur hic Lælius, ſero eum alterum geſſiſſe Conſulatum.*
(15) *Carthagine & Numantia.*

vit. Quid dicam de moribus facillimis, de pietate in matrem, liberalitate in sorores, bonitate in suos, iustitia in omnes? Hæc nota sunt vobis. Quam autem civitati carus fuerit, mœrore funeris indicatum est. Quid igitur hunc paucorum annorum accessio iuvare potuisset? Senectus enim quamvis non sit gravis (ut memini Catonem uno anno ante, quam mortuus est, mecum & cum Scipione disserere) tamen aufert eam viriditatem, in qua etiam tunc erat Scipio. Quamobrem vita quidem talis fuit vel fortuna, vel gloria, ut nihil posset accedere. Moriendi autem sensum celeritas abstulit; quo de genere mortis difficile dictu est: quid homines suspicentur, videtis. Hoc tamen vere licet dicere, P. Scipioni ex multis diebus, quos in vita celeberrimos, lætissimosque viderit, illum diem clarissimum fuisse, cum Senatu dimisso, domum reductus ad vesperam est a Patribus Conscriptis, a Populi Romani sociis, & Latinis, pridie quam excessit e vita: ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos videatur deos potius, quam ad inferos pervenisse. Neque enim assentior iis, qui hæc nuper disserere cœperunt, cum corporibus simul animas interire, atque omnia morte (16) deleri. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum maiorum, qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt: quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur: vel eorum, qui in hac terra fuerunt, magnamque Græciam (quæ nunc quidam deleta est, tum florebat) institu-

(16) *Carneaden Legatum Atheniensem intelligit, quem Cato quantocyus Roma remittendum curavit, ne eius sermonibus iuventus Romana corrumperetur.*

ſtitutis & præceptis ſuis erudierunt: vel eius, qui Apollinis oraculo ſapientiſſimus eſt iudicatus: qui non tum hoc, tum illud, ut in plerisque; ſed idem dicebat ſemper, *animos hominum eſſe divinos, iisque, cum e corpore exceſſiſſent, reditum in cælum patere; optimoque & iuſtiſſimo cuique expeditiſſimum.* Quod idem Scipioni videbatur: qui, idem quaſi præſagiret, perpaucis ante mortem diebus, cum & Philus & Manilius adeſſent, & alii plures, tuque etiam Scævola me conveniſſes, triduum diſſeruit de Republica, cuius diſputationis fuit extremum fere de immortalitate animorum: quæ ſe in quiete per viſum (17) ex Africano audiſſe dicebat. Id ſi ita eſt, ut optimi cuiusque animus in morte facillime evolet, tanquam e cuſtodia vinculisque corporis, cui cenſemus curſum ad deos faciliorem fuiſſe, quam Scipioni? Quocirca mœrere hoc eius eventu, vereor, ne invidi magis, quam amici ſit. Sin autem illa veriora, ut idem interitus ſit animorum (18) & corporum, nec ullus ſenſus maneat: ut nihil boni eſt in morte, ſic certe nihil eſt mali. Senſu enim amiſſo, fit idem quaſi natus non eſſet omnino: quem tamen eſſe natum & nos gaudemus, & hæc civitas, dum erit, lætabitur. Quamobrem cum illo quidem (ut ſupra dixi) actum optime eſt, mecum autem incommodius: quem fuit æquius, ut prius introieram in vitam, ſic prius exire de vita. Sed tamen recordatione noſtræ amicitiæ ſic fruor, ut beate vixiſſe videar,

F 2 quia

(17) *Huic etenim* Africano ſecundo *in ſomnis apparuerat* Africanus primus, *ut enarratur a Cicerone in fragmento, quod* ſomnium Scipionis *inſcribitur.*

(18) *Loquitur id ex impia Carneadis ſententia.*

quia cum Scipione vixerim: quo cum mihi coniuncta cura de re publica & de privata fuit: quo cum & domus & militia communis: & id, in quo est omnis vis amicitiæ, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio. Itaque non tam ista me sapientiæ (quam modo Fannius commemoravit) fama delectat, falsa præsertim, quam quod amicitiæ nostræ memoriam spero sempiternam fore: idque mihi eo magis est cordi, quod ex omnibus sæculis vix tria aut quatuor (19) nominantur paria amicorum; quo in genere sperare videor Scipionis amicitiam & Lælii notam posteritati fore. FANNIVS. Istud quidem, Læli, ita necesse est: sed quoniam amicitiæ mentionem fecisti, & sumus otiosi, pergratum mihi feceris, spero item Scævolæ, si quemadmodum soles de cæteris rebus, cum ex te quæruntur, sic *de Amicitia*, disputaris, *quid sentias*, *qualem existimes*, *quæ præcepta des*. SCÆVOLA. Mihi vero pergratum hoc erit: atque id ipsum cum tecum agere conarer, Fannius antevertit: quamobrem utrique nostrum gratum admodum feceris. LÆL. Ego vero non gravarer, si mihi ipse confiderem. Nam & præclara visa res est, & sumus (ut dixit Fannius) otiosi. Sed quis ego sum? aut quæ in me est facultas? doctorum est ista consuetudo, eaque Græcorum, ut iis proponatur, de quo disputent, quamvis subito. Magnum opus est, egetque exercitatione non parva. Quamobrem quæ disputari de Amicitia possunt, ab eis censeo petatis, qui ista profitentur. Ego vos hortari tantum possum, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. Nihil est enim tam naturæ aptum, tam conveniens ad res vel secundas, vel adver-

(19.) *Orestes cum Pylade &c.*

adverſas. Sed hoc primum ſentio, *niſi in bonis amicitiam eſſe non poſſe.* Neque id ad vivum reſeco, ut illi, qui hæc ſubtilius diſſerunt, fortaſſe vere, ſed ad communem utilitatem parum. Negant enim quenquam virum bonum eſſe, niſi ſapientem. Sit ita ſane; ſed eam ſapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo eſt conſecutus. Nos autem ea, quæ ſunt in uſu, vitaque communi, non ea, quæ finguntur, aut optantur, ſperare debemus. Nunquam ego dicam C. Fabricium, M. Curium, T. Coruncanium, quos ſapientes noſtri maiores iudicabant, ad iſtorum normam fuiſſe ſapientes. Quare ſibi habeant ſapientiæ nomen & invidioſum & obſcurum; concedantque, ut hi boni viri fuerint. Neque id quidem facient: negabunt id, niſi ſapienti, poſſe concedi. Agamus igitur pingui Minerva, ut aiunt. Qui ita ſe gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, æquitas, liberalitas; nec ſit in eis ulla cupiditas, vel libido, vel audacia: ſintque magna conſtantia, ut hi fuerunt, quos modo nominavi: hos viros bonos, ut habiti ſunt, ſic etiam appellandos eſſe putemus: qui aſſequuntur, quantum homines poſſunt, naturam optimam bene vivendi ducem. Sic enim perſpicere mihi videor, ita natos eſſe nos, ut inter omnes eſſet ſocietas quædam: maior autem (20), ut quisque proxime accederet. Itaque cives potiores ſuut, quam peregrini: & propinqui, quam alieni: cum his enim amicitiam natura ipſa peperit: ſed ea non ſatis habet firmitatis. Namque hoc præſtat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli poteſt, ex amicitia

(20) *Vt maior eſſet ſocietas inter illos, qui propiores ſibi ſunt.*

ſutem non poteſt. Sublata enim benevolentia, amicitæ nomen tollitur, propinquitatis manet. Quanta autem vis amicitiæ ſit, ex hoc intelligi maxime poteſt, quod ex infinita ſocietate generis humani, quam conciliavit ipſa natura, ita contracta res eſt, & adducta in anguſtum, ut *omnis caritas aut inter duos, aut inter paucos iungeretur. Eſt* autem *Amicitia nihil aliud, niſi omnium divinarum, humanarumque rerum cum benevolentia & caritate ſumma conſenſio.* Qua quidem haud ſcio, an excepta ſapientia, quicquam *melius* homini ſit a Diis immortalibus datum. Divitias alii præponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. Belluarum hoc quidem extremum eſt; illa autem ſuperiora ſunt caduca, & incerta, poſita non tam in noſtris conſiliis, quam in fortunæ temeritate. Qui autem in virtute ſummum bonum ponunt, præclare illi quidem; ſed hæc ipſa *virtus amicitiam gignit & continet: nec ſine virtute amicitia eſſe ullo pacto poteſt.* Jam virtutem ex conſuetudine vitæ, ſermonisque noſtri interpretemur: nec metiamur eam (ut quidam docti) verborum magnificentia: viroſque bonos eos, qui habentur, numeremus, Paulos, Catones, Cajos, Scipiones, Philos. His communis vita contenta eſt. Eos autem omittamus, qui omnino nuſquam reperiuntur. Tales igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere. Principio cui *poteſt eſſe vita vitalis* (ut ait Ennius) *qui non in amici mutua benevolentia conquieſcat?* Quid dulcius, quam habere, quocum omnia audeas ſic loqui, ut tecum? Quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes, qui illis æque, ac tu ipſe, gauderet? Adverſas vero res ferre difficile eſſet

ſine

ſine eo, qui illas gravius etiam, quam tu, ferret. Denique cæteræ res, quæ expetuntur, opportunæ ſunt ſingulæ rebus fere ſingulis; divitiæ, ut utare: opes, ut colare, honores, ut laudere: voluptates, ut gaudeas: valetudo, ut dolore careas, & muneribus fungare corporis. Amicitia plurimas res continet: quoquo te verteris, præſto eſt: nullo loco excluditur, nunquam intempeſtiva, nunquam moleſta eſt. Itaque non aqua, non igni, non aëre (ut aiunt) pluribus locis utimur, quam amicitia. Neque ego nunc de *vulgari*, aut de *mediocri* (quæ tamen ipſa delectat & prodeſt) *ſed de vera & perfecta* loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit. Nam & ſecundas res ſplendidiores facit amicitia, & adverſas partiens, communicansque leviores. Cumque *plurimas, & maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum præſtat omnibus, quod bona ſpe prælucet in poſterum: nec debilitari animos, aut cadere patitur: verum enim amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur ſui.* Quocirca & abſentes adſunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, & (quod difficilius dictu eſt) mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, deſiderium proſequitur amicorum. Ex quo illorum beata mors videtur, horum vita laudabilis. Quod ſi exemeris ex natura rerum benevolentiæ coniunctionem, nec domus ulla, nec urbs ſtare poterit, nec agri quidem cultus permanebit. Id ſi minus intelligitur: quanta vis amicitiæ, concordiæque ſit, *ex diſſenſionibus, atque ex diſcordiis percipi poteſt.* Quæ enim domus tam ſtabilis, quæ tam firma civitas eſt, quæ non odiis, atque diſſidiis funditus poſſit everti? Ex quo, quantum boni ſit in amicitia, iudicari poteſt. Agrigentinum do-

doctum quendam virum (21) carminibus graecis vaticinatum ferunt, *quae in rerum natura, totoque mundo constarent, quaeque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam.* Atque hoc quidem *omnes mortales & intelligunt, & re probant.* Itaque si quando aliquod officium extitit amici in periculis aut adeundis, aut communicandis, quis est, qui id non maximis efferat laudibus? Qui clamores tota cavea nuper in hospitiis, & amici mei M. Pacuvii fuerunt nova fabula (22), cum ignorante rege, uter eorum esset Orestes, Pylades *Orestem se esse* diceret, ut pro illo necaretur: Orestes autem, ita ut erat, *Orestem se esse* perseveraret? Stantes autem plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera fuisse facturos? Facile indicabat ipsa natura vim suam, cum homines quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero iudicarent. Hactenus mihi videor de amicitia, quod sentirem, potissime dixisse: si qua praeterea sunt (credo autem esse multa) ab iis, si videbitur, qui ista disputant, quaeritote. FAN. Nos autem a te potius: quanquam etiam ab istis saepe quaesivi, & audivi non invitus equidem: sed aliud quoddam expetimus filum orationis tuae. SCÆV. Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, cum est de Republica disputatum, affuisses: qualis tum patronus iustitiae fuit contra accuratam orationem Phili! FAN. Facile id quidem fuit iustitiam iustissimo viro defendere. SCÆV. Quid amicitiam? nonne facile ei erit, qui ob eam summa

(21) *Empedoclem.*
(22) *In fabula comice repraesentata, cuius argumentum erat, Orestis & Pyladis altercatio, uter illorum moreretur.*

ma fide, constantia, iustitiaque servatam, maximam ceperit gloriam? LÆL. Vim hoc quidem est afferre. Quid enim refert, qua me ratione cogatis? Cogitis certe; studiis enim generorum, præsertim in re bona, cum difficile est, tum ne æquum quidem obsistere. Sæpissime igitur mihi de amicitia cogitanti, maxime illud considerandum videri solet, *num propter imbecillitatem atque inopiam desideranda sit amicitia*: ut dandis, recipiendisque meritis, quod quisque minus per se posset, id acciperet ab alio, vicissimque redderet: an esset hoc quidem proprium amicitiæ, sed antiquior & pulchrior, & magis a natura ipsa profecta alia causa esset. *Amor* enim (ex quo amicitia est nominata) princeps est ad benevolentiam coniungendam. Nam *utilitates* quidem etiam ab iis percipiuntur sæpe, qui simulatione amicitiæ coluntur, & observantur causa temporis. In amicitia autem nihil fictum, nihil simulatum: & quicquid in ea est, idem verum & voluntarium est. Quapropter a natura mihi videtur potius, quam ab imbecillitate orta amicitia: & applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis esset habitura. Quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animadverti potest, quæ ex se natos ita amant ad quoddam tempus, & ab eis ita amantur, ut facile earum appareat sensus. Quod in homine multo est evidentius. Primum ex ea caritate, quæ est inter natos & parentes: quæ dirimi, nisi detestabili scelere, non potest. Deinde cum similis sensus extitit amoris, si aliquem nacti simus, *cuius cum moribus & natura congruamus*: quod in eo quasi lumen aliquod probitatis & virtutis perspicere videamur. *Nihil est enim amabilius virtute, nihil*

hil quod magis alliciat homines ad diligendum: quippe cum propter virtutem, & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus. Quis eſt, qui C. Fabricii, M. Curii (23) cum caritate aliqua & benevolentia memoriam non uſurpet, quos nunquam viderit? Quis autem eſt, qui Tarquinium Superbum, qui Sp. Caſſium, Sp. Melium (24) non oderit? Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum eſt, Pyrrho, & Annibale, ab altero propter probitatem eius non nimis alienos animos habemus; alterum propter crudelitatem eius ſemper hæc civitas oderit. Quod ſi tanta vis probitatis eſt, ut eam vel in eis, quos nunquam vidimus, vel, quod maius eſt, in hoſte etiam diligamus; quid mirum, ſi animi hominum moveantur, cum eorum, quibuscum uſu coniuncti eſſe poſſint, virtutem & bonitatem perſpicere videantur? Quanquam confirmatur amor & *beneficio accepto*, & *ſtudio perfecto*, & *conſvetudine adiuncta*: quibus rebus ad illum primum motum animi & amoris adhibitis, admirabilis quædam exardeſcit benevolentiæ magnitudo: quam ſi qui putant ab imbecillitate proficiſci, ut ſit, per quam quiſque aſſequatur, quod deſideret: humilem ſane relinquunt & minime generoſum (ut ita dicam) ortum amicitiæ, quam ex inopia atque indigentia naſci volunt.

(23) *Fabricius Pyrrhi Regis, Curius vero Samnitum reſpuerant munera, cum uterque eſſet pauperrimus. Curius enim Conſulem agens inventus eſt a Legatis, qui cum magno auri pondere ad eum venerant, in vaſe ligneo rapas manducare.*

(24) *Caſſius & Melius, prout & Tarquinius Superbus opprimere Rempublicam ſatagebant.*

ſunt. Quod ſi ita eſſet; ut quiſque minimum in ſe eſſe arbitraretur, ita ad amicitiam eſſet aptiſſimus: quod longe ſecus eſt. Ut enim quiſque ſibi plurimum confidit, & ut quiſque maxime virtute & ſapientia ſic munitus eſt, ut nullo egeat, ſuaque omnia in ſe ipſo poſita iudicet: ita ut in amicitiis expetendis colendiſque maxime excellit. Quid enim? Africanus indigens mei? Minime hercle. Ac ne ego quidem illius: ſed ego admiratione quadam virtutis eius, ille viciſſim opinione fortaſſe nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit: auxit benevolentiam conſvetudo. Sed quanquam utilitates multæ & magnæ conſecutæ ſunt: non ſunt tamen ab earum ſpe cauſæ diligendi profectæ. Ut enim benefici, liberalesque ſumus, non ut exigamus gratiam, (neque enim beneficium fœneramur: ſed natura propenſi ad liberalitatem ſumus) ſic amicitiam, non ſpe mercedis adducti, ſed quod omnis eius fructus in ipſo amore ineſt, expetendam putamus. *Ab iis, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longe diſſentimus. Nec mirum: nihil enim altum, nihil magnificum, ac divinum ſuſpicere poſſunt, qui ſuas omnes cogitationes abiecerunt in rem tam humilem, tamque contemptam.* Quamobrem hos quidem ab hoc ſermone removeamus: ipſi autem intelligamus, a natura gigni ſenſum diligendi, & benevolentiæ caritatem facta ſignificatione probitatis: quam qui appetiverunt, applicant ſeſe, & propius amovent, ut & uſu eius, quem diligere cæperunt, fruantur & moribus: ſintque pares in amore, & æquales, propenſioreſque ad bene merendum, quam ad repoſcendum, atque hæc inter eos ſit honeſta certatio. Sic & utilitates ex amicitia maxime capientur, & erit eius ortus a natura, quam ab imbe-

imbecillitate, & gravior & verior. Nam ſi utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata diſſolveret. Sed quia natura mutari non poteſt, idcirco veræ amicitiæ ſempiternæ ſunt. Ortum quidem amicitiæ videtis, niſi quid adhuc forte vultis. SCÆV. Tu vero perge Læli: pro hoc enim, qui minor eſt natu, meo iure reſpondeo. FANN. Recte tu quidem: quamobrem audiamus. LÆLIVS. Audite vero optimi viri ea, quæ ſæpiſſime inter me & Scipionem de amicitia diſſerebantur. Quanquam ille quidem *nihil difficilius eſſe* dicebat, *quam amicitiam uſque ad extremum vitæ diem permanere.* Nam vel ut non idem expediret utrique incidere ſæpe: vel ut de Republ. non idem ſentirent: mutari etiam mores hominum ſæpe dicebat, alias adverſis rebus, alias ætate ingraveſcente. Atque earum rerum exemplum ex ſimilitudine capiebat ineuntis ætatis; quod ſummi puerorum amores ſæpe una cum prætexta ponerentur. Sin autem ad adoleſcentiam perduxiſſent, dirimi tamen interdum vel luxuriæ contentione, vel commodi alicuius, quod idem adipiſci uterque non poſſet. Quod ſi qui longius in amicitia provecti eſſent, tamen ſæpe labefactari, ſi in honoris contentionem incidiſſent. Peſtem enim maiorem eſſe nullam in amicitia, quam in pleriſque pecuniæ cupiditatem, in optimis quibuſque honoris certamen & gloriæ, ex quo inimicitias maximas ſæpe inter amiciſſimos extitiſſe. Magna enim diſſidia, & plerumque iuſta naſci, cum aliquid ab amicis, quod rectum non eſſet, poſtularetur: ut aut libidinis miniſtri, aut adiutores eſſent ad iniuriam. Quod qui recuſarent, quamvis honeſte id facerent, ius tamen amicitiæ deſerere arguerentur, ab iis, quibus obſequi nollent: illos autem, qui quidvis ab amico auderent

poſtut

postulare, postulatione ipsa profiteri omnia se amici causa esse facturos. Eorum querela inveterata non modo familiaritates extingui solere, sed etiam odia gigni maxima atque sempiterna. Hæc ita multa quasi fata impendere amicitiis, ut omnia subterfugere non modo sapientiæ, sed etiam felicitatis diceret sibi videri. Quamobrem id primum videamus, si placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat. Num, si Corolianus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi debuere? Num Viscellinum amici regnum appetentem, num Sp. Melium iuvare debuerunt? Tiberium quidem Gracchum Rempublicam vexantem a Q. Tuberone, æqualibusque amicis derelictum videbamus. At C. Blossius Cumanus, hospes familiæ vestræ, Scævola, cum ad me, qui aderam Lenati & Rutilio Consulibus in consilio, deprecatum venisset, hanc, ut sibi ignoscerem, causam afferebat, quod tanti Tib. Gracchum fecisset, ut quicquid ille vellet, sibi faciendum putaret. Tum ego, etiamne, inquam, si te in Capitolium faces ferre vellet? Nunquam, inquit, voluisset id quidem: sed si voluisset, paruissem. Videtis quam nefaria vox: & hercle ita fecit, vel plus etiam, quam dixit. Non enim paruit ille Tiberii Gracchi temeritati, sed præfuit: nec se comitem illius furoris, sed ducem præbuit. Itaque hac amentia, quæstione nova perterritus, in Asiam profugit, ad hostes se contulit, pœnas Reipublicæ graves iustasque persolvit. *Nulla est igitur excusatio peccati, si amici causa peccaveris.* Nam cum conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris. Quod si rectum statuerimus, vel concedere amicis quicquid velint, vel impetrare ab amicis quicquid velimus, perfecta quidem

dem ſapientia ſumus, ſi nihil habeat res vitii. Sed loquimur de iis amicis, qui ante oculos ſunt, quos videmus, aut de quibus memoriam accepimus, aut quos novit vita communis. Ex hoc numero nobis exempla ſumenda ſunt, & eorum quidem maxime, qui ad ſapientiam proxime accedunt. Vidimus Papum Æmilium C. Luſcino familiarem fuiſſe (ſic a patribus accepimus) bis una Conſules, & collegas in Cenſura, tum etiam cum iis, & inter ſe coniunctiſſimos fuiſſe, M. Curium, & T. Coruncanum memoriæ proditum eſt. Igitur ne ſuſpicari quidem poſſumus, quenquam horum ab amico quippiam contendiſſe, quod contra fidem, contra iusiurandum, contra Rempublicam eſſet. Nam hæc quidem in talibus viris quid attinet dicere? ſi contendiſſent, ſcio impetraturos non fuiſſe, cum illi ſanctiſſimi viri fuerint. Æque autem nefas ſit, tale aliquid & facere rogatum, & rogare. At vero Tiber. Gracchum ſequebantur C. Carbo, C. Cato, & minimus tunc quidem Caius frater, nunc idem acerrimus. Hæc igitur prima lex in amicitia ſanciatur: ut *neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati.* Turpis enim excuſatio eſt, & minime accipienda, cum in cæteris peccatis, tum ſi quis contra Rempublicam ſe amici cauſa feciſſe fateatur. Etenim eo loco, Fanni & Scævola, locati ſumus, ut nos longe proſpicere oporteat futuros caſus Reipublicæ. Deflexit enim iam aliquantulum de ſpatio curriculoque conſuetudo maiorum. Tib. Gracchus regnum occupare conatus eſt, vel regnavit is quidem paucos menſes. Num quid ſimile Populus Romanus audierat, aut viderat? Hunc etiam poſt mortem ſecuti amici & propinqui, quid in P. Scipionem effecerint, ſine lacrymis non queo dicere. Nam Carbonem quoquo

modo

modo potuimus, propter recentem pœnam Tib. Gracchi ſuſtinuimus. De C. Gracchi autem Tribunatu quid expectem, non libet augurari. Serpit deinde res, quæ proclivis ad perniciem, cum ſemel cœpit, labitur. Videtis in tabella iam ante, quanta ſit facta labes, primo Gabinia lege, biennio autem poſt Caſſia (25). *Videre iam videor Populum Rom. a Senatu disiunctum, multitudinisque arbitrio maximas res agi.* Plures enim diſcent, quemadmodum hæc fiant, quam quemadmodum his reſiſtatur. Quorſum hæc? quia ſine ſociis nemo quicquam tale conatur. Præcipiendum eſt igitur bonis, *ut ſi in eiusmodi amicitias ignari caſu aliquo inciderint, ne exiſtiment ita ſe alligatos, ut ab amicis in magna re aliqua in Rempublicam peccantibus non diſcedant.* Improbis autem pœna ſtatuenda eſt: nec minor vero iis, qui ſequuti erant alterum, quam iis, qui ipſi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Græcia Themiſtocle? quis potentior? qui cum imperator bello Perſico ſervitute Græciam liberaſſet, propterque invidiam in exilium miſſus eſſet, ingratæ patriæ iniuriam non tulit, quam ferre debuit. Fecit idem, quod XX. annis apud nos fecerat Coriolanus. His adiutor contra patriam inventus eſt nemo. Itaque mortem ſibi uterque conſcivit. Quare talis improborum conſenſio non modo excuſatione amicitiæ tegenda non eſt, ſed potius omni ſupplicio vindicanda: ut

(25) *Gabinius & Caſſius ſancivêre, ut in creandis Magiſtratibus Populus non voce ſed tabellis uteretur: unde incommodum emerſerat, quod ſemel data ſuffragia amplius revocari nequiverint, cum prius ſvadentibus Patribus plebs vocalia ſuffragia lata ſæpe revocaverit.*

ut ne quis concessum putet, amicum, bellum patriæ inferentem sequi. Quod quidem, ut res cœpit ire, haud scio, an aliquando futurum sit. Mihi autem non minori curæ est, qualis Respublica post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit. Hæc igitur *prima lex amicitiæ* sanciatur, *ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus: ne expectemus quidem, dum rogemur: sed studium semper adsit, cunctatio absit: consilium verum dare gaudeamus libere. Plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas: eaque adhibeatur ad monendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit: & adhibitæ pareatur.* Nam quibusdam, quos audio sapientes habitos in Græcia, placuisse opinor mirabilia quædam: sed nihil est, quod illi non persequantur, suis argutiis: partim *fugiendas esse nimias amicitias*, ne necesse sit unum solicitum esse pro pluribus: satis superque esse sibi suarum cuique rerum curam, alienis nimis implicari molestum esse: commodissimum esse quam laxissimas habenas habere amicitiæ, quas vel adducas, cum velis, vel remittas. Caput enim esse ad beate vivendum securitatem: qua frui non possit animus, si tanqnam parturiat unus pro pluribus. Alios autem dicere aiunt etiam multo inhumanius (quem locum breviter perstrinxi paulo ante) *præsidii adiumentique causa, non benevolentiæ, neque caritatis amicitias esse expetendas.* Itaque ut quisque minimum firmitatis habeat, minimumque virium, ita amicitias appetere maxime. Ex eo fieri, ut mulierculæ magis amicitiarum præsidia quærant, quam viri: & inopes, quam opulenti: & calamitosi, quam ii, qui putantur beati. O præclaram sapientiam! Solem enim e mundo tollere videntur, qui amicitiam e

vita

vita tollunt: qua a diis immortalibus nihil melius habemus, nihil iucundius. Quæ eſt enim iſta ſecuritas? ſpecie quidem blanda, ſed re ipſa multis locis repudianda eſt. Neque enim eſt conſentaneum, ullam honeſtam rem, actionemve, ne ſolicitus ſis, aut non ſuſcipere, aut ſuſceptam deponere. Quod ſi curam fugimus, virtus fugienda eſt, quæ neceſſe eſt, ut cum aliqua cura res ſibi contrarias aſpernetur, atque oderit: ut bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignaviam fortitudo. Itaque videas rebus iniuſtis iuſtos maxime dolere, imbecillibus fortes, flagitioſis modeſtos. Ergo hoc proprium eſt animi bene conſtituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrariis. Quamobrem ſi cadit in ſapientem animi dolor, qui profecto cadit, niſi ex eius animo extirpatam humanitatem arbitremur: quæ causa eſt, ut amicitiam funditus tollamus e vita, ne aliquas propter eam ſuſcipiamus moleſtias? Quid enim intereſt, motu animi ſublato, non dico inter pecudem & hominem, ſed inter hominem & ſaxum, aut truncum, aut quidvis generis eiusdem? *Neque enim ſunt iſti audiendi, qui virtutem duram, & quaſi ferream eſſe volunt:* quæ quidem eſt tum multis in rebus, tum in amicitia tenera atque tractabilis: ut & bonis amici quaſi diffundantur, & incommodis contrahantur. Quamobrem angor iſte, qui pro amico ſæpe capiendus eſt, non tantum valet, ut tollat e vita amicitiam, non plus quam ut virtutes, quia nonnullas curas & moleſtias afferunt, repudientur. Cum autem contrahat virtus amicitiam (ut ſupra dixi) ſi qua ſignificatio virtutis eluceat, ad quam ſe ſimilis animus applicet & adiungat: *id, cum contingit, amor ibi exoriatur, neceſſe eſt.* Quid enim tam abſurdum, quam delectari multis ina-

nibus rebus, ut honore, ut gloria, ut ædificio, ut vestitu cultuque corporis: animo autem virtute prædito, eo, qui vel amare, vel (ut ita dicam) redamare possit, non admodum delectari? *Nihil est enim remuneratione benevolentiæ, nihil vicissitudine studiorum, officiorumque iucundius.* Quod si etiam illud addimus, quod recte addi potest, nihil esse, quod ad se rem ullam tam alliciat, & tam attrahat, quam *ad amicitiam similitudo*: concedatur profecto verum esse, ut *bonos boni diligant*, adsciscantque sibi quasi propinquitate coniunctos atque natura. Nihil est enim appetentius similium sui, nihil rapacius, quam natura. Quamobrem hoc quidem, Fanni & Scævola, constat (ut opinor) bonis inter bonos quasi necessariam benevolentiam esse: qui est amicitiæ fons a natura constitutus. *Sed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet.* Non est enim inhumana virtus, neque immanis, neque superba, quæ etiam populos universos tueri, eisque optime consulere soleat: quod non faceret profecto, si a caritate vulgi abhorreret. Atque etiam mihi quidem videntur, qui utilitatis causa fingunt amicitias, amabilissimum modum amicitiæ tollere. Non enim tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat. Tumque illud, quod ab amico est profectum, iucundum, si cum amore & studio est profectum. Tantumque abest, ut amicitiæ propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus, & copiis, maximeque virtute præditi (in qua plurimum est præsidii) minime alterius indigeant, liberalissimi sint, & beneficentissimi, atque haud scio, an ne opus sit quidem, nihil unquam omnino deesse amicis. Ubi enim studia nostra viguissent, si nunquam studio, nunquam consilio, nunquam opera

opera noſtra nec domi, nec militiæ Scipio eguiſſet? Non igitur utilitatem amicitia, ſed utilitas amicitiam conſecuta eſt. ¶ Non ergo erunt homines divitiis affluentes audiendi, ſi quando de amicitia, quam nec uſu, nec ratione habent cognitam, diſputabunt. Nam quis eſt (proh deûm fidem atque hominum) qui velit, ut neque diligat quenquam, nec ipſe ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivere? Hæc enim eſt tyrannorum vita, nimirum in qua nulla fides, nulla caritas, nulla ſtabilis benevolentiæ poteſt eſſe fiducia: omnia ſemper ſuſpecta atque ſolicita ſunt: nullus locus eſt amicitiæ. Quis enim aut eum diligat, quem metuit, aut eum, a quo ſe metui putet? Coluntur tamen *ſimulatione amicitiæ* duntaxat ad tempus. Quod ſi forte (ut fit plerumque) ceciderint, tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum. Quod Tarquinium dixiſſe ferunt, tum cum exul eſſet, *ſe intellexiſſe, quos fidos amicos habuiſſet, quoſque infidos, cum iam neutris gratiam referre poſſet.* Quamquam miror in illa ſuperbia & importunitate, ſi quenquam habere potuit. Atque ut huius, quem dixi, mores, amicos parare non potuere, *ſic multorum opes præpotentium excludunt amicitias fideles. Non enim ſolum ipſa fortuna cæca eſt, ſed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa eſt. Itaque illi efferuntur faſtidio fere & contumacia: neque quicquam inſipiente fortunato intolerabilius fieri poteſt.* Atque hoc quidem videre licet, eos, qui antea commodis fuerunt moribus, imperio, poteſtate, proſperis rebus immutari: ſpernique ab iis veteres amicitias, & indulgeri novis. Quid autem ſtultius, quam ut plurimum copiis, facultatibus, opibus poſſint, cætera parare, quæ

parant. pecuniam, æquos, famulos, vestem egregiam, vasa pretiosa: amicos non parare, optimam & pulcherrimam vitæ (ut ita dicam) suppellectilem? Etenim cætera cum parant, cui parent, nesciunt, nec cuius causa laborent. Eius etiam est, istorum quicquid est, qui vincit viribus; amicitiarum sua cuique pe[illegible]t stabilis & certa possessio: ut etiamsi [illegible]ea[illegible], quæ sunt quasi dona fortunæ; tamen vita inculta, & deserta ab amicis non possit esse iucunda. Sed hæc hactenus. Constituendi autem sunt, *qui sint in amicitia fines, & quasi termini deligendi*: de quibus tres video sententias ferri: quarum nullam probo. *Unam*, ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmetipsos. *Alteram*, ut nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentiæ pariter, æqualiterque respondeat. *Tertiam*, ut quanti quisque se ipsum facit, tanti fiat ab amicis. Harum trium sententiarum nulli prorsus assentior. Nec enim illa *prima* vera est, ut quemadmodum in se quisque, sic in amicum sit animatus. Quam multa enim, quæ nostra causa nunquam faceremus, facimus causa amicorum? precari ab indigno, supplicare, tum acerbius in aliquem invehi, insectarique vehementius: quæ in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime. Multæ quoque res sunt, in quibus de suis commodis viri boni multa detrahunt, detrahique patiuntur, ut iis amici potius, quam ipsi fruantur. *Altera* sententia est, quæ definit amicitiam paribus officiis ac voluntatibus. Hoc quidem est nimis exigue & exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum & datorum. Ditior mihi & affluentior videtur vera amicitia: nec observare stricte, ne plus reddat,

dat, quam acceperit. Neque enim verendum eſt, ne quid excidat: aut ne quid in terram defluat, aut ne plus æquo quid in amicitia congeratur. *Tertius* vero ille finis deterrimus, ut quanti quiſque ſe ipſe faciat, tanti fiat ab amicis. Sæpe in quibusdam aut animus abiectior eſt, aut ſpes amplificandæ fortunæ fractior. Non eſt igitur amici, talem eſſe in eum, qualis ille in ſe eſt: ſed potius debet eniti & efficere, ut amici iacentem animum excitet, inducatque in ſpem cogitationemque meliorem. Alius igitur finis veræ amicitiæ conſtituendus eſt, ſi prius, quod maxime reprehendere Scipio ſolitus ſit, edixero. Negabat ullam vocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri, quam eius, qui dixiſſet: *Ita amare oportere, ut aliquando eſſet oſurus.* Nec vero ſe adduci poſſe, ut hoc (quemadmodum putaretur) a *Biante* dictum eſſe crederet, qui ſapiens habitus eſſet unus e ſeptem (26): ſed impuri cuiuſdam & ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam revocantis, eſſe ſententiam. Quonam enim modo quiſquam amicus eius eſſe poterit, cuius ſe putabit inimicum eſſe poſſe? Quin etiam neceſſe erit cupere & optare, ut quam ſæpiſſime peccet amicus, quo plures det ſibi tanquam anſas ad reprehendendum. Rurſum autem recte factis commodiſque amicorum neceſſe erit angi, dolere, invidere. Quare hoc quidem præceptum cuiuſcunque eſt, ad tollendam amicitiam valet. Illud potius præcipiendum fuit, ut eam diligen-

(26) *Hæc ſunt nomina ſeptem Græciæ ſapientum, quos antiquitas plurimum eſt venerata: Thales Mileſius, Solon Athenienſis, Chilo Lacedemonius, Pittacus Mitylenes, Bias Prienæus, Cleobulus Lindius, Periander Corinthius.*

tiam adhibeamus in amicitiis comparandis, ut ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odiſſe poſſemus. Quin etiam ſi minus felices in deligendo fuiſſemus, ferendum id Scipio potius, quam inimicitiarum tempus cogitandum, putabat. His igitur finibus utendum arbitror: ut quum emendati mores amicorum ſint, tum ſit inter eos omnium rerum, conſiliorum & voluntatum ſine ulla exceptione communitas: ut etiam ſi qua fortuna acciderit, ut minus iuſtæ amicorum voluntates adiuvandæ ſint, in quibus eorum aut de capite agatur, aut de fama, declinandum ſit de via, modo ne ſumma turpitudo ſequatur. Eſt enim, quatenus amicitiæ dari venia poſſit. Nec vero negligenda eſt fama, Nec mediocre telum ad res gerendas exiſtimare oportet benevolentiam civium: quam blanditiis & aſſentationibus colligere turpe eſt. Virtus, quam ſequitur caritas, minime repudianda eſt. Sed ſæpe (redeo enim ad Scipionem, cuius omnis ſermo erat de amicitia) querebatur, *quod in omnibus rebus homines diligentiores eſſent, capras & oves quot quiſque haberet dicere poſſe: amicos quot haberet non poſſe dicere: & in illis quidem parandis curam adhibere, in amicis eligendis negligentes eſſe: nec habere quaſi ſigna quædam, & notas, quibus eos, qui ad amicitiam eſſent idonei, iudicarent.* Sunt igitur *firmi* & *ſtabiles* & *conſtantes* eligendi: cuius generis magna penuria eſt: & iudicare difficile eſt ſane, niſi expertum. Experiendum autem eſt in ipſa amicitia, Ita præcurrit amicitia iudicium, tollitque experiendi poteſtatem. Eſt igitur prudentis, ſuſtinere, ut curſum, ſic impetum benevolentiæ: quo utamur, quaſi equis temperatis, ſic amicitiis, aliqua parte periclitatis moribus amicorum. Quidam

dam sæpe in parva pecunia perspiciuntur, quam sint leves: quidam autem, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna. Sin vero erunt aliqui reperti, qui pecuniam præferre amicitiæ, sordidum existiment: ubi eos inveniemus, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes amicitiæ non anteponant? ut cum ex altera parte proposita hæc sint, ex altera ius amicitiæ, non multò illa malint? Imbecilla enim natura est ad contemnendam potentiam: quam etiamsi neglecta amicitia consecuti sunt, excusatum iri se arbitrantur, quia non sine magna causa sit neglecta amicitia. Itaque veræ amicitiæ difficillime reperiuntur in iis, qui in honoribus, Reque publica versantur. Ubi enim istum invenias, qui honorem amici anteponat suo? (hæc ut omittam) quam graves, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates? ad quas non est facile inventu, qui descendat. Quanquam Ennius recte

Amicus certus in re incerta cernitur.

tamen hæc duo levitatis, & infirmitatis plerosque couvincunt: aut si in bonis rebus contemnunt. aut si in malis deserunt. Qui igitur utraque in re gravem, constantem, stabilem se in amicitia præstiterit, hunc ex maxime raro hominum genere iudicare debemus, & pene divino. Firmamentum autem stabilitatis constantiæque eius, quam in amicitia quærimus, *Fides* est. Nihil enim stabile est, quod infidum est. Simplicem præterea, & communem, & consentientem, & qui rebus iisdem moveatur, eligi par est: quæ omnia pertinent ad fidelitatem. Neque enim fidum potest esse multiplex ingenium, & tortuosum: neque vero qui non iisdem rebus movetur, & natura consentit. fidus aut stabilis po

test esse. Addendum eodem est, ut ne criminibus aut inferendis delectetur amicus, aut credat oblatis: quæ omnia pertinent ad eam, quam iam dudum tracto, constantiam. Ita fit verum illud, quod initio dixi, *Amicitiam, nisi inter bonos, esse non posse.* Est enim boni viri (quem eundem sapientem licet dicere) hæc duo tenere in amicitia: primum, *ne quid fictum sit, neve simulatum.* Aperte enim vel odisse, magis ingenuum est, quam fronte occultare sententiam. Deinde, *non solum ab aliquo oblatas criminationes depellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum, semper aliquid existimantem ab amico esse violatum.* Accedat huc *suavitas quædam,* oportet, *sermonum atque morum,* haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ. Tristitia autem & in omni re severitas absit. Habet illa quidem gravitatem: sed amicitia remissior esse debet, & liberior & dulcior, & ad omnem comitatem facilitatemque proclivior. Existit autem hoc loco quædam quæstio subdifficilis: *Num-quando amici novi non indigni amicitia veteribus sint anteponendi:* ut equis vetulis teneros anteponere solemus? Indigna homine dubitatio. Non enim amicitiarum esse debent, sicut aliarum rerum, satietates. Veterrimæ quæque (ut ea vina, quæ vetustatem ferunt) esse debent svavissimæ: verumque illud est, quod vulgo dicitur: *Multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiæ munus expletum sit.* Novitates autem, si spem afferunt, ut tanquam in herbis non fallacibus fructus appareat, non sunt illæ quidem repudiandæ: vetustas tamen suo loco conservanda est. Maxima est enim vis vetustatis & consvetudinis. Atqui in ipso equo (cuius modo mentionem feci) si nulla res impediat, nemo est, qui non eo,

quo

quo confvevit, libentius utatur, quam intractato & novo. Nec modo in hoc, quod eſt animal, ſed in iis etiam, quæ ſunt inanimata, conſvetudo valet: cum locis etiam ipſis montuoſis delectemur & ſylveſtribus, in quibus diutius commorati ſumus. Sed maximum eſt in amicitia, *ſuperiorem parem eſſe inferiori.* Sæpe enim excellentiæ quædam ſunt, qualis erat Scipionis in noſtro (ut ita dicam) grege. Nunquam ſe ille Philo, nunquam Rupilio, nunquam Mummio anteposuit, nunquam inferioris ordinis amicis. Q. vero Maximum fratrem egregium virum, omnino ſibi nequaquam parem, quod is anteibat ætate, tanquam ſuperiorem colebat: ſuoſque omnes per ſe eſſe poſſe ampliores volebat. Quod faciendum imitandumque eſt omnibus: ut ſi quam præſtantiam virtutis, ingenii, fortunæ conſecuti ſunt, impertiant eam ſuis, communicentque proximis: ut ſi parentibus nati ſunt humilibus, ſi propinquos habeant imbecilliores vel animo, vel fortuna, eorum augeant opes, eiſque honori ſint & dignitati: ut in fabulis, qui aliquandiu propter ignorantiam ſtirpis, & generis in famulatu fuerint, cum cogniti ſunt, & aut Deorum, aut Regum filii inventi, retinent tamen caritatem in paſtores, quos patres ſuos multos annos eſſe duxerunt. Quod quidem eſt multo profecto magis in veris patribus, certisque faciendum. *Fructus enim ingenii, & virtutis, omniſque præſtantiæ tum maxime capitur, cum in proximum quemque confertur.* Ut igitur ii, qui ſunt in amicitiæ conjunctioniſque neceſſitudine ſuperiores, exæquare ſe cum inferioribus debent: ſic *inferiores dolere non debent, ſe a ſuis amicis aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate ſuperari.* Quorum plerique, aut quæruntur ſemper aliquid,

aut etiam exprobrant, eoque magis, ſi aliquid habere ſe putant, quod officioſe, aut amice, & cum labore aliquo ſuo factum queant dicere. *Odioſum ſane genus hominum officia exprobrantium: quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt, non commemorare, qui contulit.* Quamobrem ut ii, qui ſuperiores ſunt, ſubmittere ſe debent in amicitia: ſic quodammodo inferiores extollere. Sunt enim quidam, qui moleſtas amicitias faciunt, cum ipſi ſe contemni putant, quod non fere contingit, niſi iis, qui etiam contemnendos ſe arbitrantur: qui hac opinione non modo verbis, ſed etiam opere levandi ſunt. *Tantum autem cuique tribuendum eſt primum, quantum ipſe efficere poſſis: deinde etiam, quantum ille, quem diligas, atque adiuves, poſſit ſuſtinere.* Non enim tu poſſis (quantumvis licet excellas) omnes tuos ad honores ampliſſimos perducere: ut Scipio P. Rutilium potuit Conſulem efficere, fratrem eius Lucium non potuit. Quod ſi etiam poſſis quidvis deferre ad alterum: videndum eſt tamen, quid ille poſſit ſuſtinere. Omnino amicitiæ corroboratis iam confirmatiſque & ingeniis & ætatibus iudicandæ ſunt. Nec ſi qui ineunte ætate venandi, aut pilæ ſtudioſi fuerint, eos habere neceſſarios oportet, quos tum eodem ſtudio præditos dilexerunt. Iſto enim modo nutrices & pædagogi iure vetuſtatis plurimum benevolentiæ poſtulabunt: qui negligendi quidem non ſunt. ſed alio quodam modo colendi. Aliter enim amicitiæ ſtabiles permanere non poſſunt. Diſpares enim mores diſparia ſtudia ſequuntur: quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias: nec ob aliam cauſam ullam boni improbis, improbi bonis amici eſſe non poſſunt, niſi quod tanta eſt inter eos, quanta maxima poteſt eſſe, morum ſtudiorumque diſtantia. Recte

etiam

etiam præcipi poteſt in amicitiis, *ne quis intemperata quadam benevolentia* (quod perſæpe fit) *impediat magnas utilitates amicorum.* Nec enim (ut ad fabulas redeam) Troiam Neoptolemus capere potuiſſet, ſi Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lacrymis iter ſuum impedientem audire voluiſſet. Et ſæpe incidunt magnæ res, ut diſcedendum ſit ab amicis: quas qui impedire vult, quod deſiderium non facile ferat, is & infirmus eſt, mollisque natura, & ob eam ipſam cauſam in amicitia parum iuſtus. Atque in omni re conſiderandum eſt. *& quid poſtules ab amicis, & quid patiare a te impetrari.* Eſt etiam quaſi quædam calamitas *in amicitiis dimittendis* nonnunquam neceſſaria. Iam enim a ſapientum familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio noſtra delabitur. Erumpunt ſæpe vitia amicorum tum in ipſos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitiæ ſunt remiſſione uſus elevandæ: & (ut *Catonem* dicere audivi) *diſſuendæ magis, quam diſcindendæ.* Niſi quædam admodum intolerabilis iniuria exarſerit, ut neque honeſtum ſit, neque fieri poſſit, ut non ſtatim alienatio disjunctioque facienda ſit. Sin autem morum, aut ſtudiorum commutatio quædam (ut fieri ſolet) facta erit, aut in Reipublicæ partibus diſſenſio interceſſerit, (loquor enim, ut paulo ante dixi, non de ſapientum, ſed de communibus amicitiis) cavendum erit, ne *non ſolum amicitiæ depoſitæ, ſed inimicitiæ etiam ſuſceptæ videantur.* Nihil enim turpius, quam cum eo bellum gerere, quicum familiariter vixeris. Ab amicitia Q. Pompeji meo nomine ſe removerat (ut ſcitis) Scipio; propter diſſenſionem autem, quæ erat in Republica, alienatus eſt a collega

lega nostro Metello: utrumque egit graviter, auctoritate, & offensione animi non acerba. Quamobrem primum danda opera est, *ne qua amicorum dissidia fiant: sin tale aliquid evenerit, ut extinctæ potius amicitiæ, quam oppressæ videantur.* Cavendum vero est, *ne etiam in graves inimicitias convertant se amicitiæ:* e quibus iurgia, maledicta, contumeliæ gignuntur. Quæ tamen si tolerabiles erunt, ferendæ sunt: & hic honos veteri amicitiæ tribuendus est, ut is in culpa sit, qui faciat, non qui patiatur iniuriam. Omnino omnium horum vitiorum atque incommodorum una cautio est, atque una provisio, *ut ne nimis cito diligere incipiamus, neve indignos.* Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis inest causa, cur diligantur. Rarum genus, (& quidem omnia præclara rara) nec quicquam difficilius, quam reperire, quod sit omni ex parte in suo genere perfectum, Sed plerique neque in rebus humanis quicquam bonum norunt; nisi quod fructuosum sit: & amicos, tanquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos. Itaque pulcherrima illa, & maxime naturali carent amicitia; per se & propter se expetenda: nec sibi ipsi exemplo sunt, hæc vis amicitiæ qualis, & quanta sit. Ipse enim se quisque diligit, non ut aliquam a se ipso mercedem exigat caritatis suæ, sed quod per se sibi quisque carus est: quod nisi idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquam reperietur. Est enim is quidem *tanquam alter idem,* Quodsi hæc apparent in bestiis, volucribus, agrestibus, natantibus, cicuribus, feris, primum se ut ipsæ diligant (id enim pariter cum omni animante nascitur) deinde, ut requirant atque appetant, ad quas se applicent, eiusdem generis ani-

animantes: idque faciunt cum desiderio, & cum quadam similitudine amoris humani: quanto id magis in homine sit natura? qui & se ipse diligit, & alterum acquirit, cuius animum ita cum suo commisceat, ut efficiat pene unum ex duobus? Sed plerique perverse, ne dicam impudenter, amicum habere talem volunt, quales ipsi esse non possunt: quæque ipsi non tribuunt amicis, hæc ab iis desiderant. Par est autem, primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quærere. In talibus ea, quam iamdudum tractamus, stabilitas amicitiæ confirmari potest, cum homines benevolentia coniuncti, primum cupiditatibus iis, quibus cæteri serviunt, imperabunt: deinde æquitate, iustitiaque gaudebunt: omniaque alter pro altero suscipiet: neque quicquam unquam, nisi honestum & rectum, alter ab altero postulabit: neque solum colent inter se ac diligent, sed etiam verebuntur. Nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam. *Itaque in iis perniciosus est error, qui existimant libidinum, peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum enim amicitia adiutrix a natura data est, non vitiorum comes:* ut quoniam solitaria non posset ad ea, quæ summa sunt, pervenire, coniuncta, & consociata cum altera perveniret: quæ si quos inter societas aut est, aut fuit, aut futura est, eorum est habendus ad summum naturæ bonum optimus beatissimusque comitatus. Hæc est, inquam; societas, in qua omnia insunt, quæ putant homines expetenda: honestas, gloria, tranquillitas animi, atque iucunditas, ut cum hæc adsint, beata vita sit, & sine his esse non possit. Quod cum optimum, maximumque sit, si id volumus adipisci, virtuti opera danda est, sine qua neque

neque amicitiam, neque ullam rem expetendam consequi possumus. Ea vero neglecta, qui se amicos habere arbitrantur, tum se denique errasse sentiunt, cum eos gravis aliquis casus experiri cogit. Quocirca (dicendum est enim saepius) cum iudicaveris, diligere oportet, non cum dilexeris iudicare. Sed cum multis in rebus negligentia plectimur, tum maxime in amicis & deligendis & colendis. Praeposteris enim utimur consiliis, *& acta agimus*, quae vetamur veteri proverbio. Nam implicati ultro & citro, vel usu diuturno, vel etiam officiis, repente in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, dirumpimus. Quo etiam magis vituperanda est rei maxime necessariae tanta incuria. *Una est enim amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes uno ore consentiunt:* quanquam a multis ipsa virtus contemnitur, & venditatio quaedam atque ostentatio esse dicitur. *Multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque delectat: honores vero, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt, ut nihil levius existiment!* Item caetera, quae quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt, qui pro nihilo putent. De amicitia omnes ad unum idem sentiunt, & ii, qui ad Rempublicam se contulerunt, & ii, qui rerum cognitione doctrinaque delectantur, & ii, qui suum negotium gerunt otiose: postremo ii, qui se totos tradiderunt voluptatibus, sine amicitia vitam esse nullam sentiunt, si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere. Serpit enim, nescio quomodo, per omnium vitam amicitia: nec ullam aetatis degendae rationem patitur esse expertem sui. Quin etiam si quis asperitate ea est, & immanitate naturae, ut congressus & societatem hominum fugiat

giat atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus: tamen is pati non possit, ut non acquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suæ. Atque hoc maxime iudicaretur, si quid tale posset contingere, ut aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in solitudinem uspiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam, & copiam, hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet: qui eam vitam ferre posset? cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo? Verum igitur illud est, quod a *Tarentino Archita* (ut opinor) dici solitum nostros senes commemorare audivi, ab aliis senibus auditum. *Si quis cælum ascendisset, naturamque mundi & pulchritudinem siderum perspexisset: insuavem illam admirationem ei fore: quæ iucundissima fuisset, si aliquem, cui narraret, habuisset.* Sic natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquid tanquam adminiculum annititur: quod in amicissimo quoque dulcissimum est. Sed cum tot signis eadem natura declaret. quid velit ac quærat, quid desideret: obsurdescimus tamen,. nescio quomodo: nec ea, quæ ab ea monemur, audimus. Est enim varius & multiplex usus amicitiæ, multæque causæ suspicionum offensionumque dantur: quæ tum evitare, tum elevare, tum ferre, sapientis est. Una illa sublevanda offensio est, *ut & veritas in amicitia, & fides retineatur.* Nam *& monendi amici sæpe sunt, & obiurgandi: & hæc accipienda amice cum benevole fiunt.* Sed nescio, quomodo verum est, quod in *Andria* familiaris meus *Terentius* dixit,

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Mole-

Molesta veritas est: siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ: sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri sinit. Maxima autem culpa in eo est, qui & veritatem aspernatur, & in fraudem obsequio impellitur. Omnis igitur hac in re habenda ratio & diligentia est: primum *ut monitio acerbitate:* deinde, *ut obiurgatio contumelia careat. In obsequio autem* (quoniam Terentiano verbo libenter utimur) *comitas adsit, assentatio vitiorum adiutrix procul amoveatur:* quæ non modo amico, sed ne libero quidem digna est. Aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur. Cuius autem aures clausæ veritati sunt, ut ab amico verum audire nequeat, huius salus desperanda est. Scitum est enim illud Catonis ut multa: *melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum sæpe dicere, hos nunquam.* Atque illud absurdum est, quod ii scilicet, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt: eam capiunt, qua debent vacare. Peccasse enim se non anguntur: obiurgari, moleste ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, obiurgatione gaudere. Ut igitur & monere, & moneri proprium est veræ amicitiæ, & alterum libere facere, non aspere, alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum est, *nullam in amicitiis pestem esse maiorem, quam adulationem, blanditias, assentationem.* Quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad voluptatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Cum autem omnium rerum *simulatio* est vitiosa, (tollit enim iudicium veri, idque adulterat) tum amicitiæ repugnat maxime. Delet enim veritatem.

tem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest. Nam cum amicitiæ vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: qui fieri id poterit, si ne in uno quidem unus animus erit, idemque semper: sed varius, commutabilis, multiplex? Quid enim potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus eius, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?

Negat quis? nego: ait? aio. Postremo imperavi egomet mihi
Omnia assentari.

ut ait idem *Terentius*: sed ille sub Gnathonis persona: quod amici genus adhibere omnino levitatis est. Multi autem Gnathonum similes, cum sint loco, fortuna, fama superiores: horum est assentatio molesta, cum ad vanitatem accessit auctoritas. Secerni autem blandus amicus a vero & internosci tam potest, adhibita diligentia, quam omnia fucata & simulata a synceris atque veris. Concio, quæ ex imperitissimis constat, tamen iudicare solet, quid intersit inter popularem, id est, assentatorem & levem civem, & inter constantem, severum & gravem. Quibus blanditiis C. Papirius (27) nuper influebat in aures concionis, cum ferret *legem de Tribunis Plebis reficiendis*. Dissuasimus nos. Sed nihil de me: de Scipione dicam libentius. Quanta illi (dii immortales) fuit gravitas! quanta in oratione maiestas! vt facile ducem Populi Rom. diceres. Sed affuistis, & est in manibus oratio. Itaque lex popularis suffragiis populi repudiata est. Atque (ut ad me re-

(27) *C. Papirius legem tulit, ut eundem Tribunum Plebis creare liceret, quoties populus vellet.*

redeam) meministis Q. Maximo fratre Scipionis & L. Mancino Consulibus, quam popularis *lex de sacerdotiis* C. Licinii Crassi videbatur. Cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium (28) transferebatur. Atq; is primum instituit, in forum (29) versus, agere cum populo. Tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium, nobis defendentibus, facile vincebat. Atque id actum est Prætore me, quinquennio ante, quam Consul sum factus. Itaque re magis, quam auctoritate, causa illa defensa est. Quod si in scena, id est, in concione, in qua rebus fictis & adumbratis (30) loci plurimum est, tamen verum valet, si modo id patefactum & illustratum est: quid in amicitia fieri oportet, quæ tota veritate perpenditur? in qua nisi (ut dicitur) apertum pectus videas, tuumq; ostendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas: ne amare quidem, aut amari possis, cum id, quam vere fiat, ignores. Quanquam ista assentatio, quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit, atque ea delectatur. Ita fit, ut is assentatoribus patefaciat aures suas maxime, qui ipse sibi assentetur, & se maxime ipse delectet. Omnino est amans sui virtus. Optime enim se ipsa novit, quamque amabilis sit, intelligit. Ego autem non de virtute nunc loquor, sed de virtutis opinione. Virtute enim

(28) *Nam antequam hæc lex lata fuisset, ad solos Senatores pertinebat cooptare in Collegia seu creare Sacerdotes.*

(29) *Aversus a Curia seu a Senatoribus, in forum versus, scilicet ad plebem declinans.*

(30) *In concione qui perorabant, facile fallebant rudem populum; unde conciones scenam appellat, in qua a mimis facta repræsentantur.*

enim ipſa non tam multi præditi eſſe, quam videri volunt. Hos delectat aſſentatio: his fictus ad eorum voluntatem ſermo cum adhibetur, orationem illam vanam teſtimonium eſſe laudum ſuarum putant. *Nulla eſt igitur hæc amicitia, cum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus eſt.* Nec paraſitorum in Comœdiis aſſentatio nobis faceta videretur, niſi eſſent milites glorioſi (31)

Magnas vero agere gratias Thais mihi?

Satis erat reſpondere, Magnas: *Ingentes*, inquit. Semper auget aſſentatio id, quod is, cuius ad voluntatem dicitur, vult eſſe magnum. Quamobrem quamvis blanda iſta vanitas apud eos valeat, qui ipſi illam allectant & invitant: tamen etiam graviores conſtantioreſque admonendi ſunt, ut animadvertant, ne callida aſſentatione capiantur. *Aperte enim adulantem nemo non videt*, niſi qui admodum eſt excors. *Callidus ille & occultus ne ſe inſinuet, ſtudioſe cavendum eſt.* Nec enim facile agnoſcitur, quippe qui etiam adverſando ſæpe aſſentetur, & litigare ſe ſimulans, blandiatur: atque ad extremum det manus, vincique ſe patiatur, ut is, qui illuſus ſit, plus viciſſe videatur. Quid autem turpius, quam illudi? Quod ne accidat, magis cavendum eſt: ut in Epiclero: (32)

Hodie me ante omneis comicos ſtultos ſenes
Verſaris atque luſeris lautiſſime.

hæc enim etiam in fabulis ſtultiſſima perſona eſt improvidorum & credulorum ſenum. Sed neſcio quo pacto ab amicitiis perfectorum hominum, id eſt, ſapientum (de hac dico ſapientia, quæ videtur in homi-

(31) *Accii Plauti Comœdia eſt, quæ inſcribitur:* Miles glorioſus, *in qua irridentur ii, qui inſolenter laudes ſibi arrogant.*

(32) *Cuiusdam Comœdiæ eſt inſcriptio.*

minem cadere posse) ad leveis amicitias deflexit oratio. Quamobrem ad illa prima redeamus, eaq; ipsa concludamus aliquando. *Virtus*, inquam, C. Fanni, & tu Q. Muti, *& conciliat amicitias & conservat*. In ea est enim convenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia. Quæ cum se extulit, & ostendit lumen suum, & idem aspexit agnovitque in alio: ad id se admovet, vicissimque accipit illud, quod in altero est: ex quo eorum exardescit sive amor, sive amicitia, utrumque enim dictum est ab amando. *Amare* autem nihil aliud est, nisi *eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quæsita*. Quæ tamen ipsa efflorescit ex amicitia; etiamsi tu eam minus sequutus sis. Hac nos adolescentes benevolentia senes illos L. Paulum, M. Catonem, C. Gallum, P. Nasicam, Tib. Gracchum Scipionis nostri socerum dileximus. Hæc etiam magis elucet inter æquales, ut inter me, & Scipionem, L. Furium, P. Rutilium, Sp. Mummium. Vicissim autem senes in adolescentium caritate acquiescimus, ut in vestra, ut in Q. Tuberonis, equidem etiam admodum adolescentis P. Rutilii Virginii familiaritate delector. Quoniamque ita ratio comparata est vitæ naturæque nostræ, ut alia ætas oriatur ex alia: maxime quidem optandum est, ut cum æqualibus possis, quibuscum tanquam e carceribus emissus sis, cum iisdem ad calcem (ut dicitur) pervenire. Sed quoniam res humanæ fragiles caducæque, sunt, semper aliqui acquirendi sunt, quos diligamus, & a quibus diligamur. Caritate enim benevolentiaque sublata, omnis est e vita sublata iucunditas. Mihi quidem Scipio, quanquam est subito ereptus, vivit tamen, semperque vivet. Virtutem enim semper amavi illius viri, quæ extincta non est: nec mihi soli

versa

verſatur ante oculos, qui illam ſemper in manibus habui: ſed etiam poſteris erit clara & inſignis. Nemo unquam animo aut ſpe maiora ſuſcipiet, qui ſibi non illius memoriam, atque imaginem ponendam putet. Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna, aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum amicitia Scipionis poſſim comparare. In hac mihi de Republica fuit conſenſus, in hac rerum privatarum conſilium, in eadem requies plena oblectationis fuit: nunquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem ſenſerim (33): nihil audivi ex eo ipſe, quod nollem. Una domus erat, idem victus, isque communis: neque ſolum militia, ſed etiam peregrinationes ruſticationesque communes. Nam quid ego de ſtudiis dicam cognoſcendi ſemper aliquid, atque diſcendi? in quibus remoti ab oculis populi, omne otium, tempusque contrivimus. Quarum rerum recordatio & memoria, ſi una cum illo occidiſſet, deſiderium coniunctiſſimi viri, atque amantiſſimi ferre nullo modo poſſem. Sed nec illa extincta ſunt: aluntur que potius, & augentur cogitatione & memoria. Et ſi plane illis orbatus eſſem, magnum tamen afferret mihi ætas ipſa ſolatium. Diutius enim iam in hoc deſiderio eſſe non poſſum. Omnia autem brevia tolerabilia eſſe debent, etiamſi magna ſint. Hæc habui de Amicitia, quæ dicerem. Vos autem hortor, ut ita virtutem locetis, (ſine qua amicitia eſſe non poteſt) ut ea excepta, nihil amicitia præſtabilius eſſe putetis.

33) *Cuius mihi conſcius ſim.*

M. T. CICERONIS EPISTOLÆ FAMILIARES.

I. CICERO DOLABELLÆ (1) Consuli S.

Etsi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria, satisque ex ea magnam lætitiam voluptatemque capiebam, tamen non possum non consiteri, cumulari me maximo gaudio, quod vulgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus. Neminem conveni (convenio autem quotidie plurimos; sunt enim permulti optimi viri, qui valetudinis caussa in hæc loca veniant, præterea ex municipiis frequentes necessarii mei) quin omnes, cum te summis laudibus ad cœlum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant. Negant enim se dubitare, quin tu meis præceptis & consiliis obtemperans, præstantissimum te civem & singularem Consulem præbeas. Quibus ego, quanquam verissime possum respondere, te, quæ facias, tuo iudicio & tua sponte facere, nec cuiusquam egere consilio: tamen neque plane assentior, ne imminuam tuam laudem, si omnis a meis consiliis profecta videatur; neque valde nego. Sum enim avidior etiam, quam satis est, gloriæ. Et tamen non alienum dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni, Regum Regi (2), fuit honestum, habere aliquem in consiliis capiundis Ne-

(1) *Dolabella gener fuit Ciceronis.*
(2) *Agamemnon durante Trojanæ urbis decennali obsidione omnium Regum Græciæ præerat exercitibus.*

Nestorem (3): mihi vero gloriosum, te iuvenem Consulem florere laudibus, quasi alumnum disciplinæ meæ. L. quidem Cæsar, cum ad eum ægrotum Neapolim venissem, quanquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen antequam me plane salutavit, o! mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis valerem filium (4), iam salvi esse possemus. Dolabellæ vero tuo & gratulor, & gratias ago: quem quidem post te Consulem, solum possumus vere Consulem dicere. Deinde multa de facto, ac de re gesta: tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum unquam, nihil Reipublicæ salutarius. Atque hæc una vox omnium est. A te autem peto, ut me hanc quasi falsam hæreditatem alienæ gloriæ sinas cernere, meque aliqua ex parte in societatem tuarum laudum venire patiare. Quanquam, mi Dolabella, (hæc enim iocatus sum) libentius omnes meas, si modo sunt aliquæ meæ laudes, ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis. Nam cum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti; tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. Nihil enim (mihi crede) virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amavi (ut scis) M. Brutum, propter eius summum ingenium, suavissimos mores, singularem probitatem atque constantiam. Tamen Idibus Martiis (5) tantum acces-

(3) *Nestor reliquos omnes ætate superaverat, unde consiliis maxime idoneus censebatur.*

(4) *M. Antonium Dolabellæ in Consulatu Collegam.*

(5) *Julii Cæsaris nece dies celebris.*

accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi iam pridem cumulatum videbatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? Tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse (6). Quare quid est, quod ego te horter, ut dignitati & gloriae servias? Proponam tibi claros viros, quod facere solent, qui hortantur? Neminem habeo clariorem, quam te ipsum. Te imitere oportet, tecum ipse certes; ne licet quidem tibi iam tantis rebus gestis non tui similem esse. Quod cum ita sit, hortatio non est necessaria: gratulatione magis utendum est. Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa severitas animadversionis non modo non invidiosa, sed etiam popularis esset, & cum bonis omnibus, tum infimo cuique gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuae: sed contigit magnitudine cum animi, tum etiam ingenii, atque consilii. Legi enim concionem tuam. Nihil illa sapientius. Ita pedetentim, & gradatim tum accessus a te ad caussam facti, tum recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animadvertendi omnium concessu daret. Liberasti igitur & urbem periculo, & civitatem metu; neque solum ad tempus maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum facti. Intelligere debes, in te positam esse Rempublicam, tibique non modo tuendos, sed etiam ornandos esse illos viros (7), a qui-

(6) *Notetur differentia inter* diligere *&* amare. *Eandem alio in loco adhibuit inter* postulare *&* flagitare.

(7) *M. Brutum, C. Cassium, aliosque Julii Caesaris sicarios intelligit,*

a quibus initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coram plura propediem, ut spero. Tu quum Rempublicam nosque conservas, fac, ut diligentissime te ipsum, mi Dolabella, custodias. Vale.

II. CICERO PLANCO.

Et afui proficiscens in Græciam (1): & posteaquam de meo cursu Reipublicæ sum voce revocatus, nunquam per M. Antonium quietus fui: cuius tanta est, non insolentia (nam id quidem vulgare vitium est) sed immanitas, non modo ut vocem, sed ne vultum quidem liberum possit ferre cuiusquam. Itaque mihi maxime curæ est, non de mea quidem vita, cui satisfeci vel ætate (2), vel factis, vel (si quid etiam hoc ad rem pertinet) gloria; sed me patria sollicitat, inprimisque, mi Plance, exspectatio Consulatus tui; quæ ita longa est, ut optandum sit, ut possimus ad id tempus, Reipublicæ spiritum ducere. Quæ potest enim spes esse in ea Republica, in qua hominis impotentissimi, atque intemperantissimi (3) armis oppressa sunt omnia? Et in qua nec Senatus, nec Populus vim habet ullam? Nec leges ullæ sunt, nec iudicia, nec omnino simulacrum aliquod ac vestigium civitatis? Sed quum acta omnia mitti ad te arbitrabar, nihil erat, quod singulis de rebus scriberem. Illud autem erat amoris mei, quem a tua pueritia susceptum, non servavi solum, sed etiam auxi, monere te, atque hortari, ut in Rempublicam omni cogitatione curaque incumberes. Quæ si ad tuum tempus perduci-

H 5

(1) *Post mortem Julii Cæsaris.*
(2) *Erat enim tum 62. annorum.*
(3) *M. Antonii, qui defuncto J. Cæsare tyrannidem exercere parabat.*

ducitur, facilis gubernatio eſt. Ut perducatur autem, magnæ cum diligentiæ eſt, tum etiam fortunæ. Sed & te aliquanto ante (ut ſpero) habebimus, &, præterquam quod Reipublicæ conſulere debemus, tamen tuæ dignitati ita favemus, ut omne noſtrum conſilium, ſtudium, officium, operam, laborem, diligentiam, ad amplitudinem tuam conferamus. Ita facillime & Reipublicæ, quæ mihi cariſſima eſt, & amicitiæ noſtræ, quam ſanctiſſime nobis colendam puto, me intelligo ſatisfacturum. Furnium noſtrum tanti a te fieri, quantum ipſius & humanitas & dignitas poſtulat, nec miror, & gaudeo: teque hoc exiſtimare volo, quidquid in eum iudicii officiique contuleris, id ita me accipere, ut in me ipſum te putem contuliſſe.

III. CICERO PLANCO.

Cum ipſum Furnium per ſe vidi libentiſſime, tum hoc libentius, quod, illum audiens, te videbar audire. Nam & in re militari virtutem, & in adminiſtranda Provincia iuſtitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam expoſuit; & præterea mihi non ignotam in conſuetudine, & familiaritate ſuavitatem tuam adiunxit: præterea ſummam erga ſe liberalitatem. Quæ omnia mihi iucunda, hoc extremum etiam gratum fuit. Ego, Plance, neceſſitudinem conſtiutam habui cum domo veſtra ante aliquanto quam tu natus es: amorem autem erga te ab ineunte pueritia tua: confirmata iam ætate familiaritatem cum ſtudio meo, tum iudicio tuo conſtitutam. His de cauſſis mirabiliter faveo dignitati tuæ, quam mihi tecum ſtatuo eſſe communem. Omnia ſumma conſecutus es, virtute duce, comite fortuna: eaque es adeptus adoleſcens, multis invidentibus, quos ingenio induſtriaque fregiſti. Nunc me

me amantiſſimum tui, nemini concedentem, qui tibi vetuſtate neceſſitudinis potior poſſit eſſe, ſi audies, omnem tibi reliquæ vitæ dignitatem ex optimo Reipublicæ ſtatu acquires. Scis profecto (nihil enim te fugere potuit) fuiſſe quoddam tempus, cum homines exiſtimarent te nimis ſervire temporibus (1): quod ego quoque exiſtimarem, ſi ea, quæ patiebare, probare etiam arbitrarer. Sed cum intelligerem, quid ſentires, te arbitrabar videre, quid poſſes. Nunc alia ratio eſt. Omnium rerum tuum iudicium eſt, idque liberum. Conſul es deſignatus, optima ætate, ſumma eloquentia, maxima orbitate Reipublicæ virorum talium. Incumbe, per Deos immortales, in eam curam & cogitationem, quæ tibi ſummam dignitatem & gloriam afferat. Unus autem eſt, hoc præſertim tempore, per tot annos (2), Republica devexata, Reipublicæ bene gerendæ curſus ad gloriam. Hæc amore magis impulſus ſcribenda ad te putavi, quam quo arbitrarer te monitis & præceptis egere. Sciebam enim ex iisdem te haurire fontibus, ex quibus ipſe hauſeram. Quare modum faciam. Nunc tantum ſignificandum putavi, ut potius amorem tibi oſtenderem meum, quam oſtentarem prudentiam. Interea, quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, ſtudioſe diligenterque curabo. Vale.

IV. CICERO PLANCO S.

Binas a te accepi epiſtolas eodem exemplo (1): quod ipſum argumento mihi fuit diligentiæ tuæ.

(1) *Cæſarianis enim favebat partibus.*
(2) *Per ſeptennium.*
(1) *Pro maiori certitudine duæ mittebantur tabellæ diverſis viis, ut ſi unam perire contigiſſet, altera redderetur, cui inſcripta fuerat.*

tuæ. Intellexi enim te laborare, ut ad me mihi expectatissimæ Literæ perferrentur. Ex quibus cepi fructum duplicem, mihique in comparatione difficilem ad iudicandum; amorem-ne erge me tuum, an animum in Rempublicam pluris æstimandum putarem. Est omnino patriæ caritas, meo quidem iudicio, maxima: sed amor, voluntatisque coniunctio plus certe habet suavitatis. Itaque commemoratio tua paternæ necessitudinis, benevolentiæque eius, quam erga me a pueritia contulisses, cæterarumque rerum, quæ ad eam sententiam pertinebant, incredibilem mihi lætitiam attulerunt. Rursus declaratio animi tui, quem haberes de Republica, quemque habiturus esses, mihi erat iucundissima. Eoque maior erat hæc lætitia, quod ad illa superiora accedebat. Itaque te non hortor solum, mi Plance, sed plane etiam oro, quod feci his literis, quibus tu humanissime respondisti, ut tota mente, omnique animi impetu in Rempublicam incumbas. Nihil est, quod tibi maiori fructui gloriæque esse possit: nec quidquam ex omnibus rebus humanis est præclarius, aut præstantius, quam de Republica bene mereri. Adhuc enim patitur tua summa humanitas & sapientia, me, quod sentiam, libere dicere. Fortuna suffragante videris res maximas consecutus: quod, quanquam sine virtute non potuisses, tamen ex maxima parte ea, quæ es adeptus, fortunæ temporibusque tribuuntur. His temporibus difficillimis Reipublicæ quidquid subveneris, id erit totum & proprium tuum. Incredibile est omnium civium, latronibus exceptis, odium in Antonium. Magna spes in te, & in tuo exercitu magna expectatio. Cuius, per Deos, gratiæ, gloriæquæ cave tempus ammittas. Sic moneo, ut filium, sic faveo, ut mihi.

hi, ſic hortor, ut & pro patria, & amiciſſimum. Vale.

V. PLANCVS CICERONI.

Plura tibi de meis conſiliis ſcriberem, rationemque omnium redderem verboſius, quo magis iudicares, omnia me Reipublicæ præſtitiſſe, quæ & tua exhortatione excepi, & mea affirmatione tibi recepi, (non minus enim a te probari, quam diligi ſemper volui; nec te magis in culpa defenſorem mihi paravi, quam prædicatorem meritorum meorum eſſe volui) ſed breviorem me duæ res faciunt, una, quod publicis litteris omnia ſum perſecutus, altera, quod M. Variſidium, Equitem Romanum, familiarem meum, ipſum ad te tranſire iuſſi, ex quo omnia cognoſcere poſſes. Non, medius fidius, mediocri dolore afficiebar, cum alii occupare poſſeſſionem laudis viderentur: ſed usque mihi temperavi, dum perducerem eo rem, ut dignum aliquid & Conſulatu meo, & veſtra expectatione efficerem. Quod ſpero, ſi me fortuna non fefellerit, me conſecuturum, ut maximo præſidio Reipublicæ nos fuiſſe, & nunc ſentiant homines, & in poſterum memoria teneant. A te peto, ut dignitati meæ ſuffrageris, &, quarum rerum ſpe ad laudem me vocaſti, harum fructu in reliquum facias alacriorem. Non minus poſſe te, quam velle exploratum mihi eſt. Fac valeas, meque mutuo diligas. Vale.

VI. CICERO PLANCO.

Quanquam gratiarum actionem a te non deſiderabam, cum te re ipſa, atque animo ſcirem eſſe gratiſſimum: tamen (fatendum eſt enim) fuit

fuit ea mihi periucunda. Sic enim vidi, quasi ea, quae oculis cernuntur, me a te amari. Dices, quid antea? Semper equidem, sed nunquam illustrius. Literae tuae mirabiliter gratae Senatui, cum rebus ipsis, quae erant gravissimae & maximae, fortissimi animi, summique consilii: tum etiam gravitate sententiarum atque verborum. Sed, mi Plance, incumbe, ut belli extrema perficias. In hoc erit summa & gratia, & gloria. Cupio omnia Reipublicae caussa: sed, me hercules, in ea conservanda iam defatigatus, non multo plus patriae faveo, quam tuae gloriae: cuius maximam facultatem tibi Dii immortales, ut spero, dedere; quam complectere, obsecro. Qui enim Antonium oppresserit, is hoc bellum teterrimum periculosissimumque confecerit. Vale.

VII. CICERO LEPIDO S.

Quod mihi pro summa erga te benevolentia magnae curae est, ut quam amplissima dignitate sis, moleste tuli, te Senatui gratias non egisse, cum esses ab eo ordine ornatus summis honoribus (1). Pacis inter cives conciliandae cupidum esse, laetor. Eam si a servitute seiungis, consules & Reipublicae, & dignitati tuae. Sin ista pax perditum hominem (2) in possessionem impotentissimi dominatus restitutura est, hoc animo scito omnes sanos, ut mortem servituti anteponant. Itaque sapientius, meo quidem iudicio, facies, si te in istam pacificationem non interpones, quae neque Senatui, nec Populo, neque

(1) *Triumphum, nec non statuam equestrem Senatus ei decreverat.*

(2) *M. Antonium.*

que cuiquam bono probatur. Sed hæc audies ex aliis, aut certior fies literis. Tu pro tua prudentia, quid optimum factu sit, videbis. Vale.

VIII. M. CICERO M. TERENTIO VARRONI S. D.

Ex his literis, quas Atticus a te miſſas mihi legit, quid ageres, & ubi eſſes, cognovi: quando autem te viſuri eſſemus, nihil ſane ex iisdem literis potui ſuſpicari. In ſpem tamen venio appropinquare tuum adventum; qui mihi utinam ſolatio ſit! etſi tot tantisque rebus urgemur (1), ut nullam alterationem quiſquam non ſtultiſſimus ſperare debeat: ſed tamen aut tu potes me, aut ego te fortaſſe aliqua re iuvare. Scito enim me, poſteaquam in urbem venerim, rediiſſe cum veteribus amicis, id eſt, cum libris noſtris in gratiam. Etſi non idcirco eorum uſum dimiſeram, quod iis ſuccenſerem, ſed quod eorum me ſuppudebat. Videbar enim mihi, cum me in res turbulentiſſimas infideliſſimis ſociis demiſiſſem, præceptis illorum non ſatis paruiſſe. Ignoſcunt mihi, revocant in conſuetudinem priſtinam, teque, quod in eo permanſeris, ſapientiorem, quam me dicunt, fuiſſe. Quamobrem, quum placatis his utor, videor ſperare debere, ſi te viderim, & ea, quæ premant, & ea, quæ impendeant, me facile tranſiturum. Quamobrem ſive in Tuſculano, ſive in Cumano ad te placebit, ſive (quod minime velim) Romæ; dummodo ſimul ſimus, perficiam profecto, ut id utrique

(1) *Bello ſcilicet Civili inter Julium Cæſarem & Cn. Pompejum, cuius partibus favebat Cicero.*

que noſtrum commodiſſimum eſſe diiudicetur. Vale.

IX. CICERO DOLABELLÆ.

Vel meo ipſius interitu mallem, literas meas deſideràres, quam eo caſu (1), quo ſum graviſſime afflictus, quem ferrem certe moderatius, ſi te haberem. Nam & oratio tua prudens, & amor erga me ſingularis multum levaret. Sed quum brevi tempore, ut opinio noſtra eſt, te ſum viſurus, ita me affectum offendes, ut multum a te poſſim iuvari: non quo ita ſim fractus, ut aut hominem me eſſe oblitus ſim, aut fortunæ ſuccumbendum putem; ſed tamen hilaritas illa noſtra, & ſuavitas, quæ te præter cæteros delectabat, erepta mihi omnis eſt. Firmitatem tamen & conſtantiam, ſi modo fuit aliqua in nobis, eandem cognoſces, quam reliquiſti. Quod ſcribis prælia te mea cauſſa ſuſtinere, non tam id laboro, ut ſi qui mihi obtrectent, a te refutentur, quam intelligi cupio, quod certe intelligitur, me a te amari. Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo, ignoſcaſque brevitati literarum mearum. Nam & celeriter una futuros nos arbitror, & nondum ſatis confirmatus ſum ad ſcribendum. Vale.

X. CICERO PAPIRIO PÆTO.

Heri veni in Cumanum, cras ad te fortaſſe. Sed cum certum ſciam, faciam te paullo ante certiorem. Etſi M. Ceparius, cum mihi in Sylva Gallinaria (1) obviam veniſſet, quæſiſſemque, quid ageres, dixit te in lecto eſſe, quod ex

(1) *Morte Tulliæ filiæ.*
(1) *In Provincia Campania Regni Neapolitani*

ex pedibus laborares. Tuli ſcilicet moleſte, ut debui: ſed tamen conſtitui ad te venire, ut viderem te, & viſerem, & cœnarem etiam. Non enim arbitror, cocum etiam te arthriticum (2) habere. Expecta igitur hoſpitem cum minime edacem, tum inimicum cœnis ſumptuoſis.



EX VALERIO MAXIMO (1) EXEMPLA MEMORABILIA.

DE MAGISTRATIBVS.

I. Magiſtratus priſci quantopere ſuam, Populique Romani maieſtatem retinentes ſe geſſerint, hinc cognoſci poteſt, quod inter cætera obtinendæ gravitatis indicia, illud quoque magna cum perſeverantia cuſtodiebant, ne Græcis unquam, niſi Latine, reſponſa darent, Quin etiam ipſa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excuſſa, per interpretem loqui cogebant; non in urbe tantum noſtra, ſed etiam in Græcia, & Aſia: Quo ſcilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur.

II. (2) Adeo autem magna charitate patriæ

(2) *Arthritis morbus eſt, quo laborantes oſſium dolore excruciantur.*

(1) *Valerius Maximus imperante Auguſto natus eſt; ſcripſit vero hiſtoriam temporibus Tiberii, eique hoc opus dicavit.*

(2) *Anno Urbis conditæ 603.*

omnes tenebantur, ut arcana consilia P. Conscriptorum multis saeculis nemo Senator enunciaverit: Q. Fabius Maximus tantummodo, & is ipse per imprudentiam, de tertio Punico bello indicendo, quod secreto in Curia erat actum, P. Crasso, rus petens, domum revertenti in itinere narravit, memor eum triennio ante Quaestorem factum, ignarusque nondum a Censoribus in Ordinem Senatorium allectum: quo uno modo his, qui iam honores gesserant, aditus in Curiam dabatur. Sed quamvis honestus error Fabii esset, vehementer tamen a Consulibus obiurgatus est. Nunquam enim taciturnitatem, optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum, labefactari volebant. Ergo cum Asiae Rex Eumenes, amantissimus nostrae Urbis, bellum a Perse (3) adversus Populum Romanum comparari Senatui nuntiasset; non ante sciri potuit, quid aut ille locutus esset, aut Patres respondissent, quam captum Persen cognitum est. Fidum erat, & altum Reipublicae pectus Curia, silentiique salubritate munitum, & vallatum undique: cuius limen intrantes, abiecta privata charitate publicam induebant. Itaque non dicam unum, sed neminem audisse crederes, quod tam multorum auribus fuerat commissum.

III. (4) Maxima autem diligentia maiores hunc morem retinuerunt, ne quis se inter Consulem & proximum lictorem, quamvis officii caussa una progrederetur, interponeret: filio duntaxat, & ei puero, ante patrem Consulem ambulandi ius erat. Qui mos adeo pertinaciter retentus

(3) Perses *idem qui* Perseus, *ultimus Macedonum Rex.*

(4) *An. Urb. Cond.* 540.

tus eſt, ut Q. Fabius Maximus, quinquies Conſul, vir etiam pridem ſummæ auctoritatis, & tunc ultimæ ſenectutis, a filio Conſule invitatus, ut inter ſe & lictorem procederet, ne hoſtium Samnitum turba (ad quorum colloquium deſcendebant) elideretur, id facere noluerit.

DE FRVGALITATE, ET INNOCENTIA.

I.

(1) Statuam auratam nec in urbe, nec in ulla parte Italiæ quiſquam prius aſpexit, quam a M. Acilio Glabrione equeſtris patri poneretur in æde pietatis: Eam autem ædem P. Cornelio Lentulo, (2) & M. Bæbio Tamphilo Conſulibus ipſe dedicavit, quia pater compos voti factus, Rege Antiocho apud Thermopylas ſuperato.

II. (3) Veneficii quæſtio & moribus, & legibus Romanis ignota, complurium matronarum patefacto ſcelere orta eſt: Quæ cum viros ſuos clandeſtinis inſidiis veneno perimerent, unius ancillæ indicio protractæ, pars capitali iudicio damnatæ, centum ſeptuaginta numerum explevèrunt.

III. Fuit etiam illa ſimplicitas antiquorum in cibo capiendo, humanitatis ſimul & continentiæ certiſſima index. Nam maximis viris prandere, & cænare in propatulo, verecundiæ non erat; nec ſane ullas epulas habebant, quas populi oculis ſubiicere erubeſcerent: Erant adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis uſus quam pa-

(1) *An. Urb.* 688.
(2) *A. U.* 562.
(3) *A. U.* 622.

panis esset. Ideoque in sacrificiis mola, quae vocabatur, ex farre & sale constat: exta farre sparguntur: & pullis, quibus auspicia (4) petuntur, puls obiicitur: Primitus enim ex libamentis victus sui deos eo efficacius, quo simplicius placabant.

IV. Idem sensit proxima maiorum nostrorum gravitati Spartana civitas: quae severissimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquandiu civium suorum oculos a contemplanda Asia retraxit; ne illecebris eius capti, ad delicatius vitae genus prolaberentur. Audierant enim lautitiam inde, & immodicos sumptus, & omnia non necessariae voluptatis genera fluxisse: primosque Ionas unguenti, coronarumque in convivio dandarum, & secundae mensae ponendae consvetudinem, haud parva luxuriae irritamenta reperisse: Ac minime mirum est, quod homines, labore ac patientia gaudentes, tenacissimos patriae nervos, externarum deliciarum contagione solvi & hebetari noluerunt: cum aliquanto faciliorem virtutis ad luxuriam, quam luxuriae ad virtutem transitum viderent. Quod eos non frustra timuisse, dux ipsorum Pausanias patefecit, qui maximis operibus editis, ut primum se Asiae moribus permisit, forti-

(4) *Si obiectam pultem pulli avide rapiebant, erat auspicium bonum, malum sin secus. Accidit, ut cum bello Punico primo similia caperentur auspicia, pulli, longa inedia macerati, & siccato gutture cibum capere non possent, idque pro malo omine a pullario haberetur, P. Claudius, tum Consul, in mare proiici iussisset, cum dicto*: quia esse nolunt, bibant. *Verum cum ad pugnam ventum esset, consternati falsa religione militum animi, cedere inimico cum magno dedecore & damno coacti sunt. A. U.* 504.

titudinem ſuam, effeminato eius cultu, mollire non erubuit.

DE DISCIPLINA MILITARI.

I. Venio nunc ad præcipuum decus, & ſtabilimentum Romani Imperii, ſalutari perſeverantia ad hoc tempus ſincerum, & incolume ſervatum, militaris diſciplinæ tenaciſſimum vinculum; in cuius ſinu ac tutela ſerenus tranquilluſque beatæ pacis ſtatus acquieſcit.

II. (1) P. Cornelius Scipio, cui deleta Carthago avitum cognomen dedit, Conſul in Hiſpaniam miſſus, ut inſolentiſſimos Numantinæ urbis ſpiritus, ſuperiorum culpa nutritos, contunderet, eodem temporis momento, quo caſtra intravit, edixit: ut omnia ex his, quæ voluptatis cauſa comparata eſſent, auferrentur, & ſummoverentur.

III. (2) Eam ſectam Metellus ſecutus, cum exercitum in Africa, Iugurthino bello nimia Sp. Albini indulgentia corruptum, Conſul accepiſſet: omnibus imperii nervis ad revocandam priſtinæ diſciplinam militiæ conniſus eſt. Nec ſingulas partes apprehendit, ſed totam continuo in ſtatum ſuum redegit. Protinus namque lixas e caſtris ſummovit, cibumque coctum venalem proponi vetuit: In agmine neminem militum miniſterio ſervorum iumentorumque, ut arma ſua, & alimenta ipſi ferrent, uti paſſus eſt. Caſtrorum ſubinde locum mutavit: eadem, tanquam Iugurtha ſemper adeſſet, vallo foſſaque aptiſſime cinxit. Quid ergo reſtituta continentia, quid repetita induſtria profecit? Crebras ſcilicet victorias, &

(1) *An. ab Urbe condita* 619.
(2) *A. U.* 644.

multa trophæa peperit ex eo hoſte, cuius tergum, ſub ambitioſo Imperatore, Romano militi videre non contigerat.

IV. (3) Eiusdem ordinis eſt, quod ſequitur. Papirius Dictator, cum adverſus imperium eius Q. Fabius Rullianus Magiſter Equitum exercitum in aciem eduxiſſet, quanquam fuſis Samnitibus in caſtra redierat, tamen neque virtute eius, neque ſucceſſu, neque nobilitate motus, virgas expediri, eumque nudari iuſſit. O ſpectaculum admirabile, & Rullianus, & Magiſter Equitum, & victor, ſciſſa veſte, ſpoliatoque corpore, lictorum verberibus lacerandus: ut in acie exceptorum vulnerum nodoſis ictibus cruore renovato, victoriarum, quos modo ſpecioſiſſimos erat adeptus titulos, reſpergeret. Precibus deinde ſuis exercitus occaſionem Fabio confugiendi in urbem dedit; ubi fruſtra Senatus auxilium imploravit. Nihilo minus enim Papirius in exigenda pœna perſeveravit: itaque coactus eſt pater eius, poſt Dictaturam, tertiumque Conſulatum, rem ad populum devocare, auxiliumque Tribunorum plebis ſupplex pro filio petere. Neque hac re ſeveritas Papirii refrenari potuit; ceterum, cum ab univerſis civibus, & ipſis Tribunis plebis rogaretur, teſtatus eſt, non pœnam illam ſe Fabio, ſed Populo Romano, & Tribunitiæ concedere poteſtati.

V. Leniter hoc Patres Conſcripti, ſi Carthaginenſium Senatus in militiæ negotiis procurandis violentiam intueri velimus; a quo duces bella pravo conſilio gerentes, etiamſi proſpera fortuna ſubſecuta eſſet, cruci tamen ſuffigebantur; quod bene geſſerant, deorum immortalium adiuto-

(3) *A. U.* 629.

ſutorio: quod male commiſerant, ipſorum culpa imputantes.

VI. Clearchus vero, Lacedæmoniorum Dux, egregio dicto diſciplinam militiæ continebat, identidem exercitus ſui auribus inculcando, a militibus Imperatorem potius, quam hoſtem metui debere. Quo aperte denuntiabat futurum, ut ſpiritum pœnæ impenderent, quem pugnæ acceptum ferre dubitaſſent. Idque a Duce præcipi non mirabantur, maternarum blanditiarum memores, quæ exituros eos ad prœliandum monebant, ut aut vivi cum armis in conſpectum earum venirent, aut mortui in armis referantur. Hoc intra domeſticos parietes accepto ſigno, Spartanæ acies dimicabant.

DE JVRE TRIVMPHANDI.

Diſciplina militaris acriter retenta principatum Italiæ Romano Imperio peperit, & multarum urbium, magnorum Regum, validiſſimarum gentium regimen largita eſt, fauces Pontici ſinus patefecit, Alpium, Taurique montis convulſa clauſtra tradidit, ortumque e parvula Romuli caſa totius terrarum orbis fecit columen. Ex cuius ſinu quoniam omnes triumphi manarunt, ſequitur ut de triumphandi iure dicere incipiam.

II. (1) Ob levia prœlia quidam Imperatores triumphos ſibi decerni deſiderabant: quibus ut occurreretur, lege cautum eſt, ne quis triumpharet, niſi qui quinque millia hoſtium una acie cecidiſſet. Non enim numero, ſed gloria triumphorum excelſius urbis noſtræ futurum decus maiores exiſtimabant. Cæterum ne tum præclara lex cupiditate laureæ obliteraretur, legis alte-

(1) *A. U.* 601.

rius adiutorio fulta eſt, quam L. Marius, & M. Cato Tribuni Plebis tulerunt. Pœnam enim Imperatoribus minatur, qui aut hoſtium occiſorum in prœlio, aut amiſſorum civium falſum numerum, literis Senatui auſi eſſent referre. Jubetque eos, cum primum urbem intraſſent, apud Quæſtores urbanos iurare, de utroque numero vere ab his Senatui eſſe ſcriptum.

III. His illud ſubnectam. Moris erat ab Imperatore triumphum ducturo, Coss. (2) invitari ad cœnam, deinde rogari, ut venire ſuperſedeant; ne quis eo die, quo ille triumpharit, maioris in eodem convivio ſit imperii.

DE CENSORIA SEVERITATE.

I. Caſtrenſis diſciplinæ tenaciſſimum vinculum, & militaris rationis diligens obſervatio, admonent me, ut ad Cenſuram, pacis magiſtram cuſtodemque, tranſgrediar. Nam ut opes populi Romani in tantam amplitudinem Imperatorum virtutibus exceſſerunt; ita probitas & continentia cenſorio ſupercilio examinata eſt. Opus effectu par bellicis laudibus. Quid enim prodeſt foris eſſe ſtrenuum, ſi domi male vivitur? Expugnentur licet urbes, corripiantur gentes, regnis injiciantur manus; niſi foro & curiæ officium ac verecundia ſua conſtiterit; partarum rerum æquatus cœlo cumulus, ſedem ſtabilem non habebit. Ad rem igitur pertinet noſſe, atque adeo recordari acta cenſoriæ poteſtatis.

II. (1) Quid de Fabricii Luſcini cenſura loquar? narra-

(2) Coss. *legendum* Conſules, *& ſic ſæpe inferius,*

(1) *A. U.* 678.

narravit omnis ætas, & deinceps narrabit, ab eo Cornelium Rufinum, duobus Confulatibus, & Dictatura fpeciofiffime functum, quod decem pondo vafa argentea comparaffet; perinde ac malo exemplo luxuriofum, in Ordine Senatorio retentum non effe. Ipfæ, medius fidius, mihi literæ fæculi noftri obftupefcere videntur, cum ad tantam feveritatem referendam minifterium accommodare coguntur; ac vereri, ne non noftræ urbis acta commemorare exiftimentur. Vix enim credibile eft intra idem pomerium decem pondo argenti, & invidiofum fuiffe cenfum, & inopiam haberi contemptiffimam.

III. (2) Equeftris quoque Ordinis bona magnaque pars, quadringenti iuvenes, cenforiam notam patiente animo fuftinuerunt, quos M. Valerius & P. Sempronius, quia in Sicilia ad munitionem opus explicandum ire iuffi, facere id neglexerant, equis publicis fpoliatos, in numerum ærariorum retulerunt.

IV. (3) Sequuntur duo eiusdem generis exempla, eaque adieciffe fatis erit. C. Geta, cum L. Metello, & Cn. Domitio Cenforibus Senatu motus effet, poftea Cenfor factus eft.

V. (4) Item M. Valerius Meffala cenforia nota perftrictus, cenforia poftmodum poteftate imperavit: Quorum ignominia virtutem acuit: a rubore enim eius excitati, omnibus viribus incubuerunt, ut digni civibus viderentur, quibus dari potius, quam objici Cenfura deberet.

(2) *A. U.* 500.
(3) *B. U.* 638.
(4) *A. U.* 645.

DE FORTITVDINE.

I. Nos quia iam initia, procursusque virtutis patefecimus, actum ipsum persequemur; cuius ponderosissima vis, & efficacissimi lacerti, in fortitudine consistunt. Nec præterit me, conditor urbis nostræ Romule, Principatum tibi hoc in genere laudis assignari oportere. Sed patere, obsecro, uno te præcurri exemplo, cui & ipse aliquantum honoris debes: quia beneficio illius effectum est, ne tam præclare opus tuum Roma dilaberetur.

II. (1) Etruscis in urbem ponte sublicio irrumpentibus, Horatius Cocles extremam eius partem occupavit: totumque hostium agmen, donec post tergum suum pons abrumperetur, infatigabili pugna sustinuit. Atq;, ut patriam periculo imminenti liberatam vidit; armatus se in Tiberim misit: cuius fortitudinem dii immortales admirati, incolumitatem sinceram ei præstiterunt. Nam neque altitudine deiectus, quassatusve, neque pondere armorum pressus, nec ullo vorticis circuitu actus; nec telis quidem, quæ undique congerebantur, læsus, tutum natandi eventum habuit. Unus itaque tot civium, tot hostium in se oculos convertit, stupentes illos admiratione, hos inter lætitiam & metum hæsitantes: unusque duos acerrima pugna consertos exercitus, alterum repellendo, alterum propugnando, distraxit. Denique unus urbi nostræ tantum scuto suo, quantum Tiberis alveo, munimenti attulit; Quapropter discedentes Etrusci dicere potuerunt: Romanos vicimus, ab Horatio victi sumus.

III, Im-

(1) *A. U.* 245. *cum expulsum Tarquinium Etrusci (qui hodie Thusci dicuntur) vi restituere solio conabantur.*

III, Immemorem me propoſiti mei Clœlia pene facit. Eadem enim tempeſtate, certe adverſus eundem hoſtem, & in eodem Tiberi inclytum auſa facinus. Inter cæteras enim virgines obſes hoſti Porſennæ data, nocturno tempore cuſtodiam egreſſa, equum conſcendit, celerique traiectu fluminis non ſolum obſidione, ſed etiam metu patriam puella ſolvit, viris lumen virtutis præferendo.

IV. (2) Redeo nunc ad Romulum, qui ab Acrone, Ceninenſium Rege, ad dimicandum provocatus, quanquam & numero, & fortitudine militum ſuperiorem ſe crederet, tutiusque erat, toto cum exercitu, quam ſolum in aciem deſcendere, ſua potiſſimum dextra omen victoriæ rapuit: nec incepto eius fortuna defuit. Occiſo enim Acrone, fuſisque hoſtibus, opima de eo ſpolia (3) Jovi Feretrio retulit. Hactenus iſtud: quia publica religione conſecrata virtus, nulla privata laudatione indiget.

V. (4) A Romulo proximus Cornelius Coſſus eidem deo ſpolia conſecravit, cum Magiſter Equitum Ducem Fidenatium in acie congreſſus intereniſſet. Magnus initio huiuſce generis inchoatæ gloriæ Romulus: Coſſo quoque multum acquiſitum eſt, quod Romulum imitari valuit.

VI. (5) Ne M. quidem Marcelli memoriam ab his exemplis ſeparare debemus, in quo tantus animi

(2) *Anno ab Urbe condita 4.*

(3) *Opima ſpolia vocabantur, quæ Imperator a ſe occiſo hoſtili Imperatori detraxiſſet. Tria ſolum eiusmodi apud Romanos fuêre exempla, ut modo ſequitur.*

(4) *A. U. 329. Tolumnio erat Duci nomen.*

(5) *A. U. 531. Viridomarus Rex appellabatur.*

animi vigor fuit, ut apud Padum Gallorum Regem, ingenti exercitu ſtipatum, cum paucis equitibus invaderet: quem protinus obtruncatum armis exuit, eaque Jovi Feretrio dicavit.

VII. Eodem virtutis & pugnæ genere uſi ſunt T. Manlius Torquatus (6), & Valerius Corvus (7), & Æmilianus Scipio (8). Hi enim ultro pvovocatos hoſtium Duces interemerunt: ſed quia ſub alienis auſpiciis rem geſſerant, ſpolia Jovi Feretrio non poſuerunt conſecranda. (9) Idem Scipio Æmilianus, cum in Hiſpania ſub Lucullo Duce militaret, atque Intercatia prævalidum oppidum circumſederetur, primus mœnia conſcendit: Neque erat in eo exercitu quiſquam aut nobilitate, aut animi indole, aut futuris actis, cuius ſaluti magis parci & conſuli deberet: ſed tunc clariſſimus quiſque iuvenum, pro amplificanda & tuenda patria, plurimum laboris ac periculi ſuſtinebat, deforme ſibi exiſtimans, quos dignitate præſtaret, ab his virtute ſuperari. Ideoque Æmilianus hanc militiam, aliis propter difficultatem vitantibus, ſibi depopoſcit.

VIII. (10) Magnum inter hæc fortitudinis exemplum antiquitas offert. Romani a Gallorum exercitu pulſi, cum ſe in Capitolium, & in arcem conferrent, inque his collibus morari omnes non poſ-

(6) *Gigantem Gallum interemit, & torquem ei detractum collo ſuo impoſuit. An. Urb. cond.* 392.

(7) *Alterum Gallum adiuvante corvo occidit. A. U.* 402.

(8) *Gigantem Hiſpanum duello vicit, cum adhuc admodum eſſet iuvenis. A. U.* 602.

(9) *Eodem Anno.*

(10) *A. U.* 363.

poſſent; neceſſarium conſilium in plana urbis parte ſeniorum relinquendorum ceperunt, quo facilius iuventus reliquias Imperii tueretur. Ceterum ne illo quidem tam miſero, tamque luctuoſo tempore civitas noſtra virtutis ſuæ oblita eſt: Defuncti enim honoribus, apertis ianuis, in curulibus ſellis, cum inſignibus Magiſtratuum, quos geſſerant, ſacerdotiorumque, quæ erant adepti, conſederunt, ut & ipſi in occaſu ſuo ſplendorem & ornamenta vitæ præteritæ retinerent, & plebem ad fortius ſuſtinendos caſus ſuo vigore provocarent. Venerabilis eorum aſpectus primo hoſtibus fuit, & novitate rei, & magnificentia cultus, & ipſo audaciæ genere commotis. Sed quis dubitaret, quin & Galli, & victores, illam admirationem mox in riſum, & in omne contumeliæ genus converſuri eſſent? Non expectavit igitur hanc iniuriæ maturitatem C. Atilius, verum barbam ſuam permulcenti Gallo ſcipionem vehementi ictu capiti inflixit, eique propter dolorem ad ſe occidendum ruenti cupidius corpus obtulit. Capi ergo virtus neſcit; patientia dedecus ignorat. Fortunæ ſuccumbere triſtius ducit omni fato, nova & ſpecioſa genera interitus excogitat, ſi quiſquam interit, qui ſic extinguitur (11).

IX. (12) Qualis demum roboris illi milites? qui vehementi ictu remorum concitatam fugæ Punicam claſſem, nantes lubrico pelagi, quaſi camporum firmitate, pedites in littus retraxerunt?

X.

(11) *Narrat Livius, Senatores eiusmodi a Gallis primo intuitu pro ſimulacris deorum habitos fuiſſe, neque prius in cognitionem eorum deveniſſe, quam Attilius unum ex illis, ſecum liberius agentem, baculo percuſſiſſet.*

(12) *A. U.* 535.

X. Eiusdem temporis & notæ miles, qui Cannensi prœlio, quo Annibal magis vires Romanorum contudit, quam animos fregit, cum ad retinenda arma inutiles vulneribus manus haberet, spoliare se conantis Numidæ cervicem complexus, os, naribus & auribus corrosis, deforme reddidit: inque plenæ ultionis morsibus expiravit. Sepone iniquum pugnæ eventum, quantum interfectore fortior interfectus? Pœnus enim in victoria obnoxius morienti, solatio fuit: Romanus in ipso fine vitæ vindex sui extitit.

XI. (12) Tui quoque clarissimi excessus Cato Vtica monimentum est, in qua ex fortissimis vulneribus tuis plus gloriæ, quam sanguinis manavit. Siquidem constantissime in gladium incumbendo, magnum hominibus documentum dedisti; quanto potior esse debeat probis dignitas sine vita, quam vita sine dignitate.

XII. (13) Cæterum ut humanæ virtutis actum exequamur: cum Annibal Capuam (14), in qua Romanus exercitus erat, obsideret, Vibius Acceus, Pelignæ (15) cohortis Præfectus, vexillum trans Pœnicum Vallum proiecit: se ipsum, suos-

(12) *A. U. 707. cum J. Cæsar, oppressor Reipublicæ, devicto in pugna Pharsalia Pompeio, & a Rege Ægyptiorum Ptolomæo fraudulenter occiso, Uticam in Africa civitatem, ubi reliquiæ eorum erant, qui salvam volebant Rempublicam, obsidione cinxit.*

(13) *A. U. 591.*

(14) *Capua urbs Campaniæ in Regno Neapolitano.*

(15) *Pelignum Civitas in Latinis, qui cum a Romanis in socios accepti essent, in bello eis adiutorio esse debebant.*

ſuosque commilitones (ſi eo hoſtes potiti eſſent) execratus: & ad id petendum ſubſequente cohorte primus impetum fecit: Quod ut Valerius Flaccus, Tribunus tertiæ legionis, aſpexit, converſus ad ſuos, ſpectatores, inquit, ut video, alienæ virtutis huc venimus: ſed abſit hoc dedecus a ſanguine noſtro, ut Romani gloria cedere Latinis velimus. Ego certe aut ſpecioſam optavi mortem, aut felicem audaciæ exitum: Vel ſolus igitur præcurrere paratus ſum. His auditis, Pedanus Centurio convulſum ſignum dextra retinens: Jam hoc, inquit, intra hoſtile vallum mecum erit: proinde ſequantur, qui id capi nolunt, & cum eo in caſtra Pœnorum irrupit, totamque ſecum traxit legionem. Ita trium virorum fortis temeritas Annibalem, paulo ante ſpe ſua Capuæ potitorem, ne caſtrorum quidem ſuorum potentem eſſe paſſa eſt.

XIII. (16) Ne C. Atilium quidem præterire poſſumus, qui cum decimæ legionis miles pro C. Cæſaris partibus maritima pugna prœliaretur, abſciſſa dextra, quam Maſſilienſium navi iniecerat, læva puppim apprehendit: nec ante dimicare deſtitit, quam captam profundo mergeret: Quod factum parum iuſta notitia patet. (17) At Cynegyrum Athenienſem, ſimili pertinacia in conſectandis hoſtibus uſum, verboſa laudum ſuarum cantu Græcia, omnium ſæculorum memoria literarum præconio inculcat.

XIV.

(16) *A. U. 704. Sunt autem Maſſilienſes populi Galliæ, a Civitate maritima Maſſilia.*

(17) *Multo plus præſtitit Cynegyrus quam Attilius, nam perdita utraque manu, dentibus inimicam manum detinere ſatagebat. Bellum tunc erat Athenienſibus cum Perſis ad Marathonem.*

XIV. Hoc loci Leonidas Spartanus Nobilis occurrit: cuius proposito, opere, exitu, nihil fortius. Nam cum ccc. civibus apud Thermopylas toti Asiæ obiectus, gravem illum & mari & terræ Xerxem, nec hominibus tantum terribilem, sed Neptuno quoque compedes, & cœlo tenebras minitantem, pertinacia virtutis ad ultimam desperationem redegit. Cæterum perfidia & scelere incolarum eius regionis, & loci opportunitate, qua plurimum adiuvabatur, spoliatus: occidere dimicans, quam assignatam sibi a patria stationem deserere maluit, Ideoque tam alacri animo suos ad id prœlium, quo perituri erant, cohortatus est, ut diceret: Sic prandete commilitones, tanquam apud inferos cœnaturi. Mors erat denunciata: Lacedæmonii, perinde ac victoria esset promissa, Ductori intrepide paruerunt.

XV. Excellentissimos Spartanæ virtutis proventus miserabilis lapsus sequitur. Epaminondas, maxima Thebarum felicitas, idemque Lacedæmonis prima clades, cum vetustam eius urbis gloriam, invictamque ad id tempus publicam virtutem apud Leuctra, & Mantineam secundis prœliis contudisset; traiectus hasta, sanguine & spiritu deficiens, recreare se conantes, primum an clypeus suus salvus esset, deinde an penitus fusi hostes forent, interrogavit: Quæ postquam ex animi sententia comperit, Non finis, inquit, commilitones, vitæ meæ, sed melius & auctius initium advenit. Nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur. Thebas ductu & auspiciis meis caput Græciæ factas video: fortis & animosa civitas Spartana iacet, armis nostris abiecta: Amara dominatione Græcia liberata est. Orbus quoque, non tamen sine liberis morior; quoniam mirificas filias Leuctra, & Mantineam relin-

relinquo. E corpore deinde suo hastam educi iussit, eoque vulnere expiravit. Quod si eum dii immortales victoriis suis perfrui, passi essent, sospes gloriosior patriæ mœnia non intrasset.

XVI. Muliebris fortitudinis exemplo æque fortem duarum puellarum casum adiiciam. Cum pestifera seditione Syracusarum, tota regis Gelonis stirps, evidentissimis exhausta cladibus ad unicam filiam Harmoniam virginem esset redacta, & in eam certatim ab inimicis impetus fieret: nutrix eius, æqualem illi puellam, regio cultu ornatam, hostilibus gladiis obiecit. Quæ ne cum ferro quidem trucidaretur, cuius esset conditionis, ederet: proclamavit admirata illius animum Harmonia, & tantæ fidei superesse non sustinuit: Revocatosque interfectores, professa quænam esset, in cædem suam convertit. Ita alteri tectum mendacium, alteri veritas aperta finis vitæ fuit.

DE PATIENTIA.

I. Egregiis virorum pariter ac fæminarum operibus fortitudo se oculis hominum subiecit: Patientiamque in medium procedere hortata est, non sane infirmioribus radicibus stabilitam, aut minus generoso spiritu abundantem; sed ita similitudine iunctam, ut cum ea, vel ex ea nata videri possit.

II. (1) Quid enim iis, quæ supra retuli, facto Mutii convenientius? cum a Porsena Rege Etruscorum urbem nostram gravi ac diutino bello urgeri ægre ferret, castra eius clam ferro cinctus intravit; immolantemque ante altaria conatus est occidere. Cæterum inter molitionem pii pariter

(1) *A. U. 245. cum Porsenna Tarquinium solio restituere conaretur.*

ac fortis propositi oppressus, nec causam adventus texit, & tormenta quantopere contemneret, mira patientia ostendit. Perosus enim (credo) dexteram suam, quod eius ministerio in cæde Regis uti nequisset, iniectam foculo exuri passus est. Nullum profecto dii immortales admotum aris cultum attentioribus oculis viderunt. Ipsum quoque Porsenam oblitum periculi, ultionem suam vertere in admirationem coegit. Nam, Revertere, inquit, ad tuos Muti, & eis refer, te, cum vitam meam petieris, a me vita donatum. Cuius clementiam non adulatus Mutius, tristior Porsenæ salute, quam sua lætior; urbi se cum æternæ gloriæ cognomine, Scævulam reddidit.

III. (2) Pompeji etiam probabilis virtus: qui dum legationis officio fungeretur, a Gentio Rege interceptus, cum Senatus consilia prodere iuberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit: eaque patientia Regi simul & desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi excussit, & expetendæ populi Romani amicitiæ magnam cupiditatem ingeneravit

DE HVMILI LOCO NATIS, QVI CLARI EVASERVNT.

I. Quod sæpe evenit, ut & humili loco nati ad summam dignitatem consurgant, & generosissimarum imaginum fœtus, in aliquod devoluti dedecus acceptam a maioribus lucem in tenebras convertant. Quæ quidem planiora suis exemplis reddentur: ut primum de iis ordiar, quo-

(2) *A. U.* 584. *Erat autem Gentius Illyridis Rex, cum Perseo ultimo Macedonum Rege fœdere iunctus.*

quorum in meliorem ſtatum facta mutatio, ſplendidam relatu præbet materiam.

II. Incunabula Tulli Hoſtilii agreſte tugurium cepit: eiusdem adoleſcentia in pecore paſcendo fuit occupata: validior ætas Imperium Romanum rexit, & duplicavit (1): ſenectus excellentiſſimis ornamentis decorata, in altiſſimo maieſtatis faſtigio fulſit.

III. (2) M. vero Porcii Catonis incrementa publicis votis expetenda fuerunt: qui nomen ſuum Tuſculi ignobile, Romæ nobiliſſimum reddidit. Ornata ſunt enim ab eo literarum Latinarum monimenta, adiuta diſciplina militaris, aucta maieſtas Senatus, prorogata familia, in qua maximum decus poſterior eſt ortus Cato.

IV. Sed ut Romanis externa iungamus; Socrates non ſolum hominum conſenſu, verum etiam Apollinis oraculo ſapientiſſimus iudicatus, Phanarete matre obſtetrice, & Sophroniſco patre marmorario genitus, ad clariſſimum lumen gloriæ exceſſit, neque immerito. Nam cum eruditiſſimorum virorum ingenia in diſputatione cæca vagarentur, menſurasque Solis & Lunæ, & cæterorum ſiderum loquacibus magis, quam certis argumentis explicare conarentur, totius etiam mundi ambitum complecti auderent; primus ab his indoctis erroribus abductum animum, intima conditionis humanæ, ac in receſſu pectoris repoſitos affectus ſcrutari coëgit: ſi virtus per ſe ipſam æſtimetur, vitæ magiſter optimus.

V. Quam matrem Euripides, aut quem patrem Demoſthenes habuerit, ipſorum quoque ſæculo

 culo

(1) *Albanos enim victos Romam transtulit An. U. 82.*

(2) *Circa A. U. 549.*

culo ignotum fuit: alterius autem matrem olera, alterius patrem cultellos venditasse, omnium pene doctorum literæ loquuntur: Sed quid aut illius tragica, aut huius oratoria vi clarius?

QVI A PRÆCLARIS PARENTIBVS DEGENERARVNT.

I. Sequitur duplicis promissi pars adopertis illustrium virorum imaginibus reddenda: quoniam quidem sunt referenda, quæ ab earum splendore degeneraverunt, teterrimis ignaviæ ac nequitiæ sordibus imbuta nobilia portenta.

II. (1) Age Q. Fabii Max. Allobrogici & civis, & Imperatoris clarissimi filius Q. Fabius Max. quam perditam luxuria vitam egit? cuius ut cætera flagitia obliterentur, tamen abunde illo dedecore mores nudari possunt, quod ei Q. Pompeius Prætor urbanus paternis bonis interdixit: neque in tanta civitate, qui illud decretum reprehenderet, inventus est: Dolenter enim homines ferebant, pecuniam, quæ Fabiæ gentis splendori servire debebat, flagitiis disjici. Quem ergo nimia patris indulgentia hæredem reliquerat, publica severitas exhæredavit.

III. (2) Possedit favorem plebis Clodius Pulcher, adhærensque Fulvianæ stolæ pugio, militare decus muliebri imperio subiectum habuit: quorum filius Pulcher enervem, & frigidam iuventam egit.

DE ANIMI MODERATIONE.

I. Transgrediar ad saluberrimam partem, animi moderationem, quæ mentes nostras impotenti temeritatis incursu transversas ferri non patitur. Quo evenit, ut reprehensionis morsu sit vacua,

(1) *A. U.* 662.
(2) *Circa A. U.* 700.

vacua, & laudis quæſtu opulentiſſima: itaque effectus ſuos in claris viris recognoſcat.

II. (1) Age, L. Quinctius Cincinnatus qualem Conſulem egit? cum honorem eius Patres Conſcripti continuare vellent, non ſolum propter illius egregia opera, ſed etiam quod populus eosdem Tribunos in proximum annum creare conabatur, quorum neutrum iure fieri poterat: utrumque diſcuſſit, Senatus ſimul ſtudium inhibendo, & Tribunos verecundiæ ſuæ exemplum ſequi cogendo. Ita unus in cauſſa fuit, ut ampliſſimus ordo, populuſque tutus eſſet ab iniuſti facti reprehenſione.

III. (2) Fabius vero Maximus, cum a ſe quinquies, & a patre, avo, proavo, maioribuſque ſuis ſæpenumero Conſulatum geſtum animadverteret: Comitiis, quibus filius eius ſummo conſenſu Conſul creabatur, quam potuit conſtanter cum populo egit, ut vacationem aliquando huius honoris Fabiæ genti daret: non quod filii virtutibus diffideret (erat enim illuſtris) ſed ne maximum imperium in una familia continuaretur. Quid hac moderatione valentius, aut efficacius; quæ etiam patrios affectus, qui potentiſſimi habentur, ſuperavit?

IV. (3) Numidicus autem Metellus populari factione patria pulſus in Aſiam ſeceſſit: in qua, cum ei forte ludos Trallibus ſpectanti literæ redditæ eſſent, quibus ſcriptum erat, maximo Senatus & Populi conſenſu reditum illi in Urbem datum: non e theatro prius abiit, quam ſpectaculum ederetur: non lætitiam ſuam proxime ſedentibus ulla ex parte patefecit, ſed ſummum

(1) *A. U.* 293.
(2) *A. U.* 461.
(3) *A. U.* 654.

gaudium intra se continuit. Eundem constat pari vultu & exulem fuisse, & restitutum. Adeo moderationis beneficio, medius semper inter secundas & adversas res animi firmitate versatus est.

V. Non minoris admirationis illud: Stasippus Tegeates, hortantibus amicis, ut gravem in administratione Reipubl. æmulum, sedalioqui probum & ornatum virum, qualibet ratione vel tolleret, vel summoveret, negavit se facturum, ne quem in tutela patriæ bonus civis locum obtineret, malus & improbus occuparet; seque potius vehemeuti adversario urgeri, quam patriam egregio advocato carere præoptavit.

DE ABSTINENTIA.

I. Magna cura, præcipuoque studio referendum est, quantopere libidinis, & avaritiæ furori similes impetus ab illustrium virorum pectoribus, consilio ac ratione summoti sunt. Quia demum ii penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facile steterit; ubi minimum Veneris, pecuniæque cupido sibi vendicaverit. Nam quo istæ generis humanæ certissimæ pestes penetraverint, ibi iniuria dominatur, infamia flagrat. Quibus longius relictis, contrarios tam diris vitiis mores commemoremus.

II. (1) Age, si quis hoc sæculo vir illustris pellibus hædinis pro stragulis utatur. tribusque servis comitatus Hispaniam regat, & quingentorum assium sumptu transmarinam provinciam petat, eodem cibo, eodemque vino, quo nautæ, uti contentus sit, nonne mirabilis existimetur? Atqui ista patientissime superior (2) Cato toleravit, quia

(1) *A. U.* 558.

(2) *Duo fuerant Catones maxime memorandi, superior hic seu maior, & minor, seu Uticensis, a loco, in quo vivere desiit.*

quia illum grata frugalitatis consvetudo, in hoc genere vitae. cum summa dulcedine continebat.

III. (3) Exultat animus maximorum virorum memoriam percurrens. Scipio Æmilianus, post duos inclytos Consulatus, totidemque suae praecipuae gloriae triumphos, septem servis sequentibus officio legationis functus est: Et puto Carthaginis ac Numantiae spoliis comparare plures potuerat; nisi operum suorum ad se laudem, manubias ad patriam redundare maluisset. Itaque cum per socios, & exteras gentes iter faceret, non mancipia eius, sed victoriae numerabantur: nec quantum auri & argenti, sed quantum amplitudinis pondus secum ferret, aestimabatur.

IV. (4) Continentia vero etiam in universae plebis animis saepenumero cognita est, sed abunde erit, longe inter se distantium saeculorum, duo ex his exempla retulisse. Pyrrhus impetus sui terrore soluto, ac iam Epiroticis armis languentibus, benevolentiam populi Romani mercari, quia virtutem debilitare nequiverat, cupiens, pene totum regiarum opum apparatum in urbem nostram transtulerat. Caeterum cum & magni pretii, & varii generis a legatis eius, tam virorum quam faeminarum apta usui munera circa domos ferrentur, nulla cuiquam dono ianua patuit. Tarentinaeque (5) petulantiae animosus magis, efficax defensor, haud scio maiore cum gloria huius urbis moribus, quam armis repulsus sit.

(3) *A. U.* 623.
(4) *A. U.* 473.
(5) *Tarentum urbs in extrema Italiae parte sita, cum Romanis bellando Pyrrhum hunc, Epirotarum Regem in auxilium vocaverat.*

DE PAVPERTATE LAVDATA.

I.

(1) Attilium, qui ad eum accersendum a Senatu missi erant ad imperium populi Romani suscipiendum, semina spargentem viderunt: sed illae rustico opere attritae manus salutem publicam stabilierunt: ingentes hostium copias pessundederunt. Quaeque modo arantium boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt: nec fuit iis rubori eburneo scipione deposito, agrestem stivam aratri repetere. Potest pauperes consolari Atilius, sed multo magis docere locupletes, quam non sit necessaria solidae laudis cupidini nimis anxia divitiarum comparatio.

II. (2) Æque magna latifundia L. Quinctii Cincinnati fuerunt: septem enim iugera agri possedit: ex hisque tria, quae pro amico ad aerarium obsignaverat, multae nomine amisit. Poenam quoque pro filio Caesone, quod ad caussam dicendam non occurrisset, huius agelli reditu solvit. Et tamen ei quatuor iugera aranti, non solum dignitas patris familiae constitit, sed etiam Dictatura (3) delata est. Anguste se habitare nunc putat, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.

III. (4) Regio imperio propter nimiam Tarquinii superbiam finito, Consulatus initium Valerius Po-

(1) *A. U.* 496.

(2) *A. U.* 292.

(3) *Dictatores regia authoritate Rempublicam administrabant: at ultra sex menses eam protrahere nefas fuerat.*

(4) *A. U.* 244.

Publicola cum Junio Bruto auſpicatus eſt. Idemque poſtea tres Conſulatus acceptiſſimos populo Romano geſſit: & plurimorum ac maximorum operum prætextu, titulum imaginum ſuarum amplificavit: cum interim factorum illud columen patrimonio ne ad exequiarum quidem impenſam ſufficiente deceſſit: ideoque publica pecunia ductæ ſunt. Non attinet ulteriore diſputatione tanti viri paupertatem ſcrutari: abunde enim patet quid vivus poſſederit, cui mortuo lectus funebris & rogus defuit.

DE HVMANITATE ET CLEMENTIA.

I.

(1) Age, M. Marcelli clementia, quam clarum, quamque memorabile exemplum haberi debet? qui captis a ſe Syracuſis in arce earum conſtitit; ut urbis modo opulentiſſimæ, tunc afflictæ, fortunam ex alto cerneret. Cæterum caſum eius lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit; quem ſi quis ignarus vir aſpexiſſet, alterius victoriam eſſe credidiſſet. Itaque Syracuſana civitas in maxima clade tua aliquid admiſtum gratulationis habuiſti: quia ſi tibi incolumen ſtare fas non erat, leniter ſub tam manſveto victore cecidiſti.

II. (2) Africani quoque poſterioris humanitas ſpecioſe lateque patuit. Expugnata enim Carthagine, circa Siciliæ civitates literas miſit, ut ornamenta templorum ſuorum a Pœnis rapta, per

 lega-

(1) *A. U.* 541. *Syracuſæ olim erant Siciliæ Metropolis.*

(2) *A. U.* 607.

legatos recuperarent, inque priſtinis ſedibus reponenda curarent. Beneficium diis pariter atque hominibus acceptum.

DE GRATITVDINE.

I.

(1) Magnum grati populi ſpecimen in Q. Fabio Maximo enituit: Nam cum quinque Conſulatibus ſalutariter Reipublicæ adminiſtratis deceſſiſſet, certatim æs contulit; quo maior ac ſpecioſior eius funeris pompa duceretur. Elevet aliquis præmia virtutis, cum animadvertat, fortes viros felicius ſepeliri, quam vivere ignavos.

II. (2) Liberalis populus Romanus magnitudine muneris, quod Attalo Regi Aſiam dedit dono: Sed Attalus etiam teſtamenti æquitate gratus, qui eandem Aſiam populo Romano legavit. Itaque nec huius munificentia, nec illius tam memor beneficii animus tot verbis laudari poteſt, quot ampliſſimæ civitates vel amice datæ, vel pie redditæ ſunt.

DE PIETATE IN PARENTES.

I. Sanguinis ingenui mulierem Prætor apud tribunal ſuum capitali crimine damnatam, triumviro in carcere necandam tradidit. Quo receptam, is, qui cuſtodiæ præerat, miſericordia motus, non protinus ſtrangulavit. Aditum quoque ad eam filiæ, ſed diligenter excuſſæ, ne quid cibi inferret, dedit: exiſtimans futurum, ut inedia

(1) *A. U.* 464.
(2) *Circa A. U.* 620.

dia consumeretur. Cum autem iam dies plures intercederent, secum ipse quærens, quidnam esset, quod tandiu sustentaretur; curiosius observata filia, animadvertit illam exerto ubere famem matris lactis sui subsidio lenientem. Quæ tam admirabilis spectaculi novitas ab ipso ad Triumvirum, a Triumviro ad Prætorem, a Prætore ad concilium iudicum perlata, remissionem pœnæ mulieri impetravit. Quo non penetrat, aut quid non excogitat pietas, quæ in carcere servandæ genitricis novam rationem invenit? Quid enim tam inusitatum, quid tam inauditum, quam matrem natæ uberibus alitam? Putaret aliquis hoc contra rerum naturam factum; nisi diligere parentes prima naturæ lex esset.

II. Ne te quidem Cimon (1) silentio involvam, qui patri tuo sepulturam voluntariis vinculis emere non dubitasti. Nam etsi maximo tibi postea & civi, & duci evadere contigit; plus tamen aliquanto laudis in carcere, quam in Curia assecutus es. Cæteræ enim virtutes admirationis tantummodo multum, pietas vero etiam amoris plurimum meretur.

DE PIETATE ERGA PATRIAM.

I.

(1) Cum in media parte fori, vasto ac repentino hiatu terra subsideret, responsumque esset; re illum tantummodo compleri posse

qua

(1) *Miltiadis Atheniensis filius, de Republica optime meriti, ut videre est apud Cornelium Nepotem, per summum concivium suorum scelus in carceres detrusi.*

(1) *A. U.* 391.

qua populus Romanus plurimum valeret: Curtius & animi & generis nobilissimus adolescens, interpretatus urbem nostram virtute, armisque præcipue excellere; militaribus insignibus ornatus, equum conscendit, eumque vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit. Super quem universi cives honoris gratia certatim fruges iniecerunt, continuoque terra pristinum habitum recuperavit. Magna postea decora in foro Romano fulserunt: nullum tamen hodie, quod pietate Curtii erga patriam clarius obversatur exemplum: cui principatum gloriæ obtinenti, consimile factum subnectam.

II. (2) Decius, qui Consulatum in familiam suam primus intulit, cum Latino bello Romanam aciem inclinatam, & pene iam prostratam videret; caput suum pro salute Reipublicæ devovit: Ac protinus concitato equo, in medium hostium agmen, patriæ salutem, sibi mortem petens, irrupit: factaque ingenti strage, plurimis telis obrutus, super corruit. Ex cuius vulneribus & sanguine insperata victoria emersit.

III. Sed & externa eiusdem propositi exempla attingam. Rex Atheniensium Codrus, cum ingenti hostium exercitu Attica regio debilitata, ferro ignique vastaretur, diffidentia humani auxilii ad Apollinis Delphici oraculum confugit; perque legatos sciscitatus est; quonam modo illud tam grave bellum discuti posset. Respondit deus, Ita finem ei fore, si ipse hostili manu occidisset. Quod quidem non solum totis Athenis; sed in castris etiam contrariis percrebuit. Eoque factum est, ut ediceretur, ne quis Codri corpus vulneraret. Id postquam cognovit, depositis insignibus imperii,

(2) *A. U.* 413.

perii, familiarem cultum induit, ac pabulantium hoſtium globo ſeſe obiecit; unumque ex his falce percuſſum, in cædem ſuam compulit: Cuius interitu ne Athenæ occiderent, effectum eſt.

QVI SEVERI ADVERSVS LIBEROS.

I.

(1) Par Romulo gloria L. Brutus, quia ille urbem, hic libertatem Roman. condidit; filios ſuos, Tarquinii dominationem a ſe expulſam reducentes, ſummum Imperium obtinens, comprehenſos, proque tribunali virgis cæſos, & ad palum religatos ſecuri percuti iuſſit.

II. (2) Huius æmulatus exemplum Caſſius, filium, qui Tribunus Plebis Agrariam (3) legem primus tulerat, multiſque aliis rebus populariter animos hominum amore ſui devinctos tenebat; poſtquam illam poteſtatem depoſuit, adhibito propinquorum & amicorum conſilio, affectati regni crimine domi damnavit: verberibuſque affectum, necari iuſſit: ac peculium eius Cereri conſecravit.

III. (4) T. autem Manlius Torquatus, præter egregia multa raræ dignitatis, iuris quoque civilis, & ſacrorum pontificalium peritiſſimus, in conſimili facto ne conſilio quidem neceſſariorum indigere ſe credidit. Nam cum ad Senatum Macedo-

(1) *A. U.* 244.
(2) *A. U.* 268.
[3] *Lex Agraria iubebat agrum Romanum æqualiter inter omnes dividi.*
[4] *Incertum quinam ille Manlius fuerit, & quo id Anno contigerit.*

cedonia de filio eius D. Silano, qui eam provinciam obtinuerat, querelas per legatos detulisset; a Patribus Conscriptis petiit, ne quid ante de ea re statuerent, quam ipse Macedonum, filiique sui caussam inspexisset: Summo deinde cum amplissimi ordinis, tum etiam eorum, qui questum venerant, consensu cognitione suscepta, domi consedit; solusque utrique parti per totum biduum vacavit, ac tertio plenissime die, diligentissimeque auditis testibus, ita pronuntiavit: Cum Silanum filium meum pecunias a sociis accepisse mihi probatum sit, & Republica eum & domo mea indignum iudico, protinusque e conspectu meo abire iubeo. Tam tristi patris sententia perculsus Silanus, lucem ulterius intueri non sustinuit, suspendioque se proxima nocte consumpsit. Peregerat iam Torquatus severi & religiosi iudicis partes, satisfactum erat Reipublicæ, habebat ultionem Macedonia, potuit tam verecundo obitu filii patris inflecti rigor, at ille neque adolescentis exequiis interfuit, & cum maxime funus eius duceretur, consulere se volentibus vacuas aures accommodavit.

IV. (5) Nec minus animose A. Fulvius, vir Senatorii Ordinis, euntem in aciem filium retraxit, quam Scaurus e prœlio fugientem increpuit. Namque iuvenem & ingenio & literis & forma inter æquales nitentem, pravo consilio amicitiam Catilinæ secutum, inque castra eius temerario impetu ruentem, medio itinere abstractum supplicio mortis affecit: præfatus, non se Catilinæ illum adversus patriam, sed patriæ adversus Catilinam genuisse. Licuit, donec civilis belli rabies præteriret, inclusum arcere: verum illud cauti patris narraretur opus, hoc severi refertur.

QVI

[5] *A. U.* 690.

QVI FILIORVM OBITVM FORTI ANIMO TVLERVNT.

I.

(1) Horatius Pulvillus, cum in Capitolio Jovi Opt. Max. ædem Pontifex dedicaret, interque nuncupationem solemnium verborum postem tenens, mortuum esse filium suum audisset: neque manum a poste removit, ne tanti templi dedicationem interrumperet: Neque vultum a publica religione ad privatum dolorem deflexit; ne patris magis, quam Pontificis partes egisse videretur. Tolle, inquit, cadaver.

II. (2) Clarum exemplum: nec minus tamen illustre quod sequitur. Æmilius Paullus, nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repræsentatio, ex quatuor filiis formæ insignis, egregiæ indolis, duos iure adoptionis in Corneliam, Fabiamque gentem translatos, sibi ipse denegavit: duos ei fortuna abstulit. Quorum alter triumphum patris funere suo quartum ante diem præcessit: alter in triumphali curru conspectus, post diem tertium expiravit. Itaque qui ad donandos usque liberos abundaverat, in orbitate subito destitutus est. Quem casum quo robore animi sustinuerit, oratione, quam de rebus a se gestis apud populum habuit, hanc adjiciendo clausulam, nulli ambiguum reliquit: Cum in maximo proventu felicitatis nostræ, Quirites, timerem, ne quid mali fortuna moliretur; Jovem Opt. Maximum, Junonemque Reginam, & Minervam precatus sum, ut si adversi quid populo Romano immineret, totum in meam domum convertere-

[1]. *A. U.* 246.
[2] *A. U.* 586.

teretur. Quapropter bene se res habet; annuendo enim votis meis id egerunt, ut vos potius meum casum doleatis, quam ego vestro ingemiscerem.

QVÆ LIBERE DICTA AVT FACTA.

I. Libertatem autem vehementis spiritus dictis pariter ac factis testatam, ut non invitaverim; ita ultro venientem non excluserim. Quæ inter virtutem vitiumque posita, si salubri modo se temperaverit laudem: si quo non debuit, profuderit, reprehensionem meretur. Atque vulgi sic auribus gratior, quam sapientissimi cuiusque animo probabilior est. Utpote frequentius aliena venia, quam sua providentia tuta. Sed quia humanæ vitæ partes persequi propositum est; nostra fide, propria æstimatione referatur.

II. (1) Priverno capto, interfectisque, qui id oppidum ad rebellandum incitaverant. Senatus indignatione accensus consilium agitabat, quidnam sibi de reliquis quoque Privernatibus faciendum esset. Ancipiti igitur casu salus eorum fluctuabat, eodem tempore & victoribus & iratis subiecta. Cæterum cum auxilium unicum in precibus restare animadverterent, ingeniti Italici sanguinis oblivisci non potuerunt. Princeps enim eorum in Curia interrogatus, quam pœnam mererentur, respondit: Quam merentur, qui se dignos libertate iudicant. Verbis arma sumserat; exasperatosque Patrum Conscriptorum animos inflammaverat. Sed Plautius Consul, favens Privernatium caussæ, regressum animoso eius dicto

[1] *A. U.* 174.

cto obtulit: quæsivitque, qualem cum eis Romani pacem habituri essent impunitate donata. At is constantissimo vultu, Si bonam dederitis, inquit, perpetuam: si malam, non diuturnam. Qua voce perfectum est, ut victis non solum venia, sed etiam ius & beneficium nostræ civitatis daretur.

III. (2) Sic in Senatu Privernas loqui ausus est. L. vero Philippus Consul adversus eundem ordinem libertatem exercere non dubitavit. Nam segnitiem pro Rostris exprobrans, alio sibi Senatu opus esse dixit: tantumque a pœnitentia dicti abfuit; ut etiam L. Crasso, summæ dignitatis & eloquentiæ viro, id in Curia graviter ferenti, manum injici iuberet. Ille reiecto lictore, Non es, inquit, mihi Philippe Consul, quia nec ego quidem tibi Senator sum.

IV. (3) Quapropter minus mirari debemus, quod amplissima Cn. Pompeji auctoritas toties cum libertate luctata est: nec sine magna laude, quoniam omnis generis hominum licentiæ ludibrio esset; quieta fronte tulit. Cn. Piso, cum Manilium Crispum reum ageret, eumque evidenter nocentem gratia Pompeji videret eripi; iuvenili impetu ac studio accusationis provectus, multa & gravia crimina præpotenti defensori obiecit. Interrogatus deinde ab eo, cur se quoque non accusaret: Da, inquit, prædes Reip. te, si postulatus fueris, civile bellum non excitaturum; etiam de tuo prius, quam de Manilii capite in consilium iudices mittam. Ita eodem iudicio duos sustinuit reos: accusatione Manilium, libertate Pompeium: & eorum alterum lege peregit, alterum professione, qua solum poterat.

[2] *A. U.* 672.
[3] *A. U.* 696.

V. Inſerit ſe tantis viris mulier alienigeni ſanguinis: quæ a Philippo Rege temulento immerenter damnata, Provocarem ad Philippum, inquit, ſed ſobrium. Excuſſit crapulam oſcitanti, ac præſenti animo ebrium reſipiſcere, cauſſaque diligentius inſpecta, iuſtiorem ſententiam ferre coëgit. Igitur æquitatem, quam impetrare non potuerat, extorſit: potius præſidium a libertate, quam ab innocentia mutuata.

DE SEVERITATE.

I. Armet ſe duritia pectus neceſſe eſt, dum horridæ ac triſtis ſeveritatis acta narrantur; ut humaniore cogitatione ſepoſita, rebus auditu aſperis vacet. Ita enim deſtrictæ & inexorabiles vindictæ, & varia pœnarum genera in medium procurrent, utilia quidem legum munimenta, ſed minime in placido & quieto paginarum numero reponenda.

II. (1) M. Manlius, unde Gallos depulerat, inde ipſe præcipitatus eſt; quia fortiter defenſam libertatem nefarie opprimere conatus fuerat. Cuius iuſtæ ultionis nimirum hæc præfatio fuit: Manlius eras mihi, cum præcipites agebas Senones: poſtquam mutari cœpiſti, unus factus es ex Senonibus. Huius ſupplicio æternæ memoriæ nota inſerta eſt: Propter illum enim lege ſanciri placuit, ne quis Patricius in arce, aut Capitolio habitaret, quia domum eo loci habuerat, ubi nunc ædem Monetæ videmus. (2) Par indignatio civitatis adverſus Sp. Caſſium erupit: cui plus ſuſpicio concupitæ dominationis nocuit, quam tres magnifici Conſulatus, ac duo ſpecioſiſſimi triumphi profuerunt. Senatus enim, populuſque Roman. non contentus capitali eum ſupplicio

[2] *A. U.* 268. [1] *A. U.* 370

plicio afficere: interempto domum superiecit, ut penatium quoque strage puniretur. In solo autem aedem Telluris fecit. Itaque quod prius domicilium impotentis viri fuerat, nunc religiosae severitatis monimentum est. (3) Eadem ausum Sp. Maelium consimili exitu patria multavit. Area vero domus eius, quo iusti supplicii notitia ad posteros perveniret, Aequimelii appellationem traxit.

III. (4) Sic se in viris puniendis severitas exercuit. Sed ne in faeminis quidem supplicio afficiendis segniorem se egit. Horatius unus proelio trium Curiatiorum, conditione pugnae omnium Albanorum victor; cum ex illa clarissima acie domum repetens sororem suam virginem Curiatii sponsi mortem profusius, quam illa aetas debebat, flentem vidisset; gladio, quo patriae rem bene gesserat, interemit: Parum pudicas ratus lacrymas, quae praepropero amori dabantur. Quem hoc nomine reum apud populum actum, pater defendit. Ita paullo propensior animus puellae ad memoriam futuri viri; & fratrem ferocem vindicem, & vindictae tam rigidum assensorem patrem habuit.

DE GRAVITER DICTIS AVT FACTIS.

I.

(1) C. Popillius a Senatu legatus ad Antiochum missus, ut bello se, quo Ptolemaeum lacessebat, abstineret: cum ad eum venisset, atque is prompto animo & amicissimo vultu dextram ei porrexisset; invicem ei suam porrigere noluit, sed tabellas Senatusconsultum continentes tradidit: Quas ut legit Antiochus, dixit se cum amicis collocuturum. Indignatus

[3] *A. U.* 214. [4] *A. U.* 87. [1] *A. U.* 585.

Popillius, quod aliquam moram interposuisset; virga solum, quo insistebat, denotavit: At prius, inquit, quam hoc circulo excedas, da responsum, quod Senatui referam. Non legatum locutum, sed ipsam Curiam ante oculos positam crederes. continuo enim Rex affirmavit fore, ne amplius de se Ptolemaeus quereretur. Ac tum demum Popillius manum eius tanquam socii apprehendit. Quam efficax est animi sermonisque abscisa gravitas! Eodem momento Syriae regnum terruit, Aegypti texit.

II. (2) P. autem Rutilii verba prius an facta aestimem, nescio: nam utrisque aeque admirabile inest robur. Cum amici cuiusdam iniustae rogationi resisteret, atque is per summam indignationem dixisset: Quid ergo, inquit mihi opus est amicitia tua, si quod rogo, non facis? respondit, Imo quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sum? Huic voci consentanea illa opera, quod magis ordinum dissensione, quam ulla culpa sua reus factus, nec obsoletam vestem induit, nec insignia Senatoris deposuit, nec supplices ad genua iudicum manus tetendit; nec dixit quicquam splendore praeteritorum annorum humilius. Effecitque, ut periculum illud non impedimentum gravitatis eius esset, sed experimentum. Atque etiam cum ei reditum in patriam Sullana victoria praestaret, in exilio, ne quid adversum leges faceret, remansit. Quapropter Felicis cognomen iustius quis moribus gravissimi viri, quam impotentis armis assignaverit. Quod quidem Sulla rapuit, Rutilius meruit.

III. Sed illos quidem natura in haec gravitatis vestigia deduxit. Socrates autem Graecae doctrinae clarissimum columen, cum Athenis caussam dicturus

[2] *A. U.* 660.

rus esset, defensionemque ei Lysias a se compositam, qua in iudicio uteretur, recitasset, demissam & supplicem, imminentique procellæ accommodatam, Aufer, inquit, quæso istam: nam ego si adduci possem, ut eam in ultima Scythiæ solitudine perorarem, tum me ipse morte multandum concederem. Spiritum contempsit, ne careret gravitate: maluitque Socrates extingvi, quam Lysias superesse.

IV. Nec parum grave Spartani cuiusdam dictum: siquidem nobilitate & sanctitate præstans, & in petitione magistratus victus, maximæ sibi lætitiæ esse prædicavit, quod aliquos patria sua se meliores viros haberet. Quo sermone repulsam honori adæquavit.

DE JVSTITIA.

I.

(1) Timochares Ambraciensis Fabricio Consuli pollicitus est, se Pyrrhum veneno per filium suum, qui potionibus eius præerat, necaturum. Ea res cum ad Senatum esset delata, missis legatis Pyrrhum monuit, ut adversus huius generis insidias cautius se gereret: memor urbem a filio Martis conditam: & armis bella, non venenis gerere debere. Timocharis autem nomen suppressit, utroque modo æquitatem amplexus: quia nec hostem malo exemplo tollere, neque eum, qui benemereri paratus fuerat, prodere voluit.

II. (2) Nec aliter se L. Crassus in eodem iustitiæ experimento gessit. C. Carbonis nomen infesto animo utpote inimicissimi sibi detulerat: sed tamen scrinium eius a servo allatum ad se, complura continens, quibus facile opprimi posset: ut

[1] *A. U.* 475. [2] *A. U.* 634.

ut erat signatum, cum servo catenato ad eum remisit. Quo pacto igitur inter amicos viguisse tunc iustitiam credimus, cum inter accusatores quoque & reos tantum virium obtinuisse videamus?

III. (3) Jam L. Sulla non se tam incolumem, quam Sulpitium Rufum perditum voluit, tribunitio furore eius sine fine vexatus. Cæterum cum eum proscriptum, & in villa latentem a servo proditum comperisset; manumissum parricidam, ut fides edicti sui extaret, præcipitari protinus e saxo Tarpeio cum illo scelere parto pileo (4) iussit. Victor alioquin insolens, hoc imperio iustissimus.

IV. Verum ne alienigenæ iustitiæ obliti videamur, Pittacus (5) Mitylenæus, cuius aut meritis tantum cives debuerunt, aut moribus crediderunt, ut suis & suffragiis tyrannidem deferrent; tamdiu illud imperium sustinuit, quamdiu bellum de Sigæo (6) cum Athieniensibus gerendum fuit. Postquam autem pax victoria parta est, continuo reclamantibus Mitylenæis deposuit; ne dominus civium ultra quam Reipublicæ necessitas exegerat, permaneret. Atque etiam, cum recuperati agri dimidia pars consensu omnium offerretur; avertit animum ab eo munere; deforme iudicans, virtutis gloriam magnitudine prædæ minuere.

DE

[3] *A. U.* 665.
[4] *Mancipiis pileo uti nefas erat, nisi ab hero libertate donarentur.*
[5] *Mitylene urbs in insula Lesbo, in mari Ægeo seu Archipelago.*
[6] *Sigæum urbs Asiæ Minoris in Troade prope antiquam Troiam.*

DE SAPIENTER DICTIS AVT FACTIS.

I. Nunc id genus felicitatis explicabo, quod totum in habitu animi eſt: nec votis petitur, ſed in pectoribus ſapientia præditis natum, dictis, factisque prudentibus eniteſcit.

II. Scipio Africanus turpe eſſe aiebat, in re militari dicere, non putaram, videlicet quia explorato & excuſſo conſilio, quæ ferro aguntur, adminiſtrari oportere arbitrabatur: ſumma ratione. Inemendabilis eſt error, qui violentia Martis committitur. Idem negabat aliter cum hoſte confligi debere, quam aut ſi occaſio obveniſſet, aut neceſſitas incidiſſet: æque prudenter. Nam & proſpere gerendæ rei facultatem omittere, maxima dementia eſt: & in anguſtias utique pugnandi compulſum, abſtinere ſe prœlio, peſtiferum ignaviæ adfert exitum: Eorumque, qui iſta committunt, alter beneficio fortunæ uti, alter iniuriæ neſcit reſiſtere.

III. (1)Q. quoque Metelli cum gravis, tum etiam alta in Senatu ſententia: qui devicta Carthagine, neſcire ſe, illa victoria bonine plus an mali Reipublicæ attuliſſet, aſſeveravit. Quoniam ut pacem reſtituendo profuiſſet; ita Annibalem ſubmovendo, nonnihil nocuiſſet. Eius enim tranſitu in Italiam, dormientem iam populi Romani virtutem excitatam: metuique debere, ne acri æmulo liberata in eundem ſomnum revolveretur. In æquo igitur malorum poſuit, uri tecta, vaſtari agros, exhauriri ærarium; & priſci roboris nervos hebetari.

IV. Nec parum prudenter Anaxagoras interroganti

[1] *A. U.* 561.

ganti cuidam, quisnam esset beatus: Nemo, inquit, ex his, quos tu felices existimas: sed eum in illo numero reperies, qui a te ex miseris constare creditur. Non erit ille divitiis & honoribus abundans: sed aut exigui ruris, aut non ambitiosæ doctrinæ fidelis ac pertinax cultor, in secessu quam in fronte beatior.

V. Quam porro subtiliter (2) Anacharsis leges aranearum telis comparabat; Nam ut illas infirmiora animalia retinere, valentiora transmittere; ita his humiles & pauperes constringi, divites & præpotentes non alligari videmus.

DE STVDIO ET INDVSTRIA.

I. Quid cesso vires industriæ commemorare? cuius alacri spiritu militiæ stipendia roborantur, forensis gloria accenditur, fido sinu cuncta studia recepta nutriuntur: quicquid animo, quicquid manu, quicquid lingua admirabile est, ad cumulum laudis perducitur. Quæ cum perfectissima sit virtus, eam tamen duramento sui confirmat.

II. (1) Cato sextum & octogesimum annum agens, dum in Republica tuenda iuvenili animo perstat; ab inimicis capitali crimine accusatus, suam causam egit. Neque aut memoriam eius quisquam tardiorem, aut firmitatem lateris ulla ex parte quassatam, aut os hæsitatione impeditum animadvertit. Quia omnia ista in statu suo æquali ac perpetua industria continebat. Quin-

etiam

[2] *Anacharsis erat præstantissimus Athenis Philosophus natione Scytha.*

[1] *Cato Censorius dictus, ob Censuram severe gestam, A. U. 604.*

etiam in ipſo diutiſſimæ actæ vitæ fine diſertiſſimi oratoris Galbæ accuſationi defenſionem ſuam pro Hiſpania appoſuit.

III. Idem Græcis literis erudiri concupivit: quam ſero, inde æſtimemus, quod etiam Latinas pene iam ſenex didicit. Cumque eloquentia magnam gloriam iam partam haberet; id egit, ut iuris civilis quoque eſſet peritiſſimus.

IV (2) Cuius mirifica proles, propior ætati noſtræ Cato, ita doctrinæ cupiditate flagravit; ut ne in Curia quidem, dum Senatus cogitur, temperaret ſibi, quo minus libros Græcos lectitaret: Qua quidem induſtria oſtendit, aliis tempora deeſſe, alios temporibus ſupereſſe.

V. Socratem etiam conſtat ætate provectum fidibus tractandis operam dare cœpiſſe: ſatius iudicantem, eius artis uſum ſero, quam nunquam percipere. Et quantula Socrati acceſſio iſta futuræ ſcientiæ erat? ſed pertinax hominis induſtria, tantis doctrinæ ſuæ divitiis etiam Muſicæ rationis utiliſſimum elementum accedere voluit. Ergo dum ad diſcendum ſemper ſe pauperem credidit, ad docendum fecit ſe locupletiſſimum.

VI. Te quoque Cleanthe tam laborioſe haurientem, & tam pertinaciter tradentem ſapientiam, numen ipſius induſtriæ ſuſpexit: cum adoleſcentem quæſtu extrahendæ aquæ nocturno tempore inopiam tuam ſuſtentantem, diurno Chryſippi præceptis percipiendis vacantem, eundemque ad undecenteſimum annum attenta cura erudientem auditores tuos videret: Duplici enim labore unius ſæculi ſpatium occupaſti, incertum reddendo, diſcipulusne an præceptor eſſes laudabilior?

(2) Cato Uticenſis dictus, eo, quod oppreſſa a Julio Cæſare Republica Uticæ in Africa vitam finiverit.

VII. Jam Solon quanta induſtria flagraverit, & verſibus complexus eſt, quibus ſignificat, ſe quotidie aliquid addiſcentem ſeneſcere, & ſupremo vitæ die confirmavit, quum aſſidentibus amicis, & quadam de re ſermonem inter ſe conferentibus, ſatis iam preſſum caput erigeret: Interrogatuſque quapropter id feciſſet, reſpondit: Ut cum iſtud, quicquid eſt, de quo iam diſputatis, percepero, moriar. Migraſſet profecto ex hominibus inertia, ſi eo animo vitam ingrederemur, quo eam Solon egreſſus eſt.

VIII. Quam porro induſtrius Themiſtocles!, qui maximarum rerum cura diſtrictus, omnium tamen civium ſuorum nomina memoria comprehendit: Per ſummamque iniquitatem patria pulſus, & ad Xerxem, quem paulo ante devicerat, confugere coactus, prius quam in conſpectum eius veniret, Perſico ſermoni ſe aſſuefecit; ut labore parta commendatione, regiis auribus familiarem & aſſvetum ſonum adhiberet.

IX. Cuius utriuſque induſtriæ laudem duo Reges partiti ſunt; Cyrus omnium militum ſuorum nomina; Mithridates duarum & viginti gentium, quæ ſub regno eius erant, linguas ediſcendo. Ille, ut ſine monitore exercitum ſalutaret: hic, ut eos, quibus imperabat, ſine interprete alloqui poſſet.

DE EFFECTIBVS ARTIVM RARIS.

I. Effectus etiam artium recogniti poſſunt aliquid afferre voluptatis: protinuſque, & quam utiliter excogitatæ ſunt, patebit: & memoratu dignæ res lucido in loco reponentur, & labor in iis edendis ſuo fructu non carebit.

II. (1) Sulpicii Galli maximum in omni genere literarum recipiendo ſtudium plurimum Reipublicæ profuit. Nam cum L. Paulli bellum adverſum Regem Perſen gerentis, Legatus eſſet, ac ſerena nocte ſubito luna defeciſſet: eoque veluti diro quodam monſtro perterritus exercitus noſter, manus cum hoſte conſerendi fiduciam amiſiſſet; de cœli ratione, & ſiderum natura peritiſſime diſputando, alacrem eum in aciem miſit. Itaque illi inclytæ Paullianæ victoriæ liberales artes Galli aditum dederunt: quia niſi ille metum noſtrorum militum viciſſet, Imperator Romanus vincere hoſtes non potuiſſet.

III. Sed ut alienigena ſcrutemur, cum obſcurato repente ſole inuſitatis perfuſæ tenebris Athenæ ſollicitudine agerentur, interitum ſibi cæleſti denuntiatione portendi credentes; Pericles proceſſit in medium, & quæ a præceptore ſuo Anaxagora pertinentia ad ſolis & lunæ curſum acceperat, diſſeruit: nec ulterius trepidare cives ſuos vano metu paſſus eſt.

OPTIMIS ARTIVM MAGISTRIS CONCEDENDVM EST.

I. Suæ autem artis unumquenque & actorem, & diſputatorem optimum eſſe ne dubitemus, paucis exemplis admoneamus.

II. Q. Scævola, legum clariſſimus & certiſſimus vates, quotieſcunque de iure prædiatorio conſulebatur, ad Furium, & Cæſellium, quia huic ſcientiæ dediti erant, conſultores rejiciebat. Quo quidem facto moderationem magis ſuam commendabat, quam auctoritatem minuebat: ab his id

(1) *A. U.* 580.

id negotium aptius explicari posse confitendo, qui quotidiano eius usu callebant. Sapientissimi igitur artis suæ professores sunt, a quibus & propria studia verecunde, & aliena callide æstimantur.

III. Platonis quoque eruditissimum pectus hæc cogitatio attigit: qui conductores sacræ arcis de modo & forma eius secum sermonem conferre conatos, ad Euclidem Geometram ire iussit, scientiæ eius cedens, imo professioni.

IV. Mirifice ille (1) artifex, qui in opere suo moneri se a sutore de crepida, & ansulis passus: de crure etiam disputare incipientem, supra plantam ascendere vetuit.



BERNARDI GVILIELMINI (1) CLER. REG. SCHOL. PIAR. SERMONES TERNI.

SERMO PRIMVS.

FAUSTE, mihi a teneris genitor quem credidit annis
Formandum studiis & moribus, hæc quoque dicta

Ac-

(1) *Apelles pictor præstantissimus.*

[1] *Natione Galli. qui Romæ in Collegio Nobilium, dicto* Nazareno, *per plures annos summa cum laude literas humaniores docuit. Benedicto Papæ XIV. ob carminum venustatem fuit acceptissimus.*

Accipe quondam a te poscentis plura magistri,
Munere nunc solum veri fungentis amici.
Tempora prætereunt: nonus iam labitur annus,
Auges quo modicum numerum dignissimus unus
Nostrorum juvenum. Jam cunctæ Palladis(2) artes,
Jam rerum secreta tibi patuere retecta
Hinc Peripatetica(3), sed clarius inde lucerna
Democriti (4). Tandem quod votis sæpe petisti,
Liberioris iter vitæ patulosque (5) penates
Ingrederis, dominusque tui rerumque tuarum.
Nil tibi præteritis de moribus objicio, nil
De studiis: etenim præter magnam ingenii vim,
Patria quam virtus dedit & tibi sidus amicum
Nascenti, assiduum facilisque volensque laborem
Palladia nulli cedens in laude tulisti.
Adde, quod ingenti Divorum munere fictus
Es meliore luto; vidi urbanumque probumque:
Vidi, iam fatear, vultuque habituque modestum
Corporis: auctor erat puræ Deus incola mentis
Ha-

[2] *Literæ humaniores, uti est Poësis & Rhetorica cum Historia & Geographia. &c.*

[3] *Philosophia Aristotelis, quæ iis temporibus maxima habebatur.*

[4] *Democritus erat unus ex iis Philosophis, qui de omnibus dubitantes, nihil se certo scire existimabant. Cum vero Cartesius Sæc. XVI. eandem in parte resuscitasset sententiam, præcipiens dubitare de rebus philosophicis, antequam in eorum plenam deveniamus cognitionem (ne cæco impetu fallaces antiquorum sequeremur opiniones) hinc Auctor nomine Democriti Cartesianam intelligit Philosophiam.*

[5] *Ubi licebit ingredi & egredi pro lubitu, non prout in Coll.*

Harum virtutum, ſed cultor ſedulus (5) ille;
Ille, tuo lateri qui affixus qualibet hora
Hæſit nunc triſti, læta nunc fronte monendo
Te quid erat dignum vitatu, quidve petitu.
Sed nunc liber abis & noſtra lege ſolutus
In mare præruptum: facili ſine cortice nare
Incipies: age, FAUSTE, manu bene nitere utraque,
Nitere, FAUSTE, utroque pede, omnes exere vires:
Namque altus gurges, quem tranas, ſunt vada multa,
Inque volutata circum furit æſtus arena.
Si rapit abſorptum dubiæ ſemel impetus undæ,
Nequicquam (7) clamabis; eo nam litore rarus
Vir bonus appellit, digitos ſupponere mento
Qui poſſit gelidoque ori, quod plurimus imber
Jam ſubeat; comitum ridebit cetera turba,
Et te forte mori tacitum quis coget. Aquæ fons
Regis in æde fuit, fontis ſed pervius uſus
Omnibus: accedunt æſtumque ſitimque moleſtam
Forte levaturi complures, quos nec honeſtas,
Nec ratio, ſed aquæ coniunxerat una cupido.
Ut grex, quem multo vexavit Sirius (8) igne,
Fontem obſederunt facto velut agmine, turbam
Præter & urgentem, caput uni pondus adauxit,
Labitur & præceps. Riſum per longa volutant
Atria crudeles ſocii, bibit auribus ille,
Naribus ille miſer bibit & clamore dehiſcit
Horrifico. Pranſum Regem tunc ſomnus habebat.
Ecce

[6] *Præfectus & Magiſter.*
[7] *In vanum.*
[8] *Stella, cui dominatum æſtatis attribuunt Aſtrologi, qua exorta æſtivos calores cauſſari putant.*

Ecce autem minitans resupino myſtace & haſta
Helvetius (9) laxus braccas, croceuſque ruberque
Apparet, fugiunt riſores, ſolus in unda
Qui ſuperârat, opem poſcit. Quis crederet? olli (10),
Sponte, inquit lictor, tacituſque illabere fundo,
Aut cogam: domini iubet alta ſilentia ſomnus.
Mergitur infelix, victoque ut ab hoſte rediſſet,
Tranquilla ad valvas accenſus fronte reſedit.
Rides? At caveas aliquo ne tempore de te
Paucis hiſtoriam mutatis fama loquatur,
Exemploque tuo fieri poſſe omnia credas.
Urget præcipitem momento temporis uno
Sæpe bonum comes improbus, exultatque ruina.
Quos igitur fugias homines ſermone docebo
Te facili atque brevi. Delectant otia multos,
Qui ſola tentant operoſi plurima lingua,
Sive ubi ſolicito potatur calda (11) miniſtro,
Sive ubi denſum humeris cogunt ſpectacula vulgus,
Omnia magnarum norunt ſecreta domorum,
Norunt, quem renuit trepidans Babylonia regem,
Quid Moſchi, quid Thraces agant: tamen ignorant ſe,
Quamque domus fragili ſua ſit tibicine fulta.

Gar-

[9] *Principes pro cuſtodia ſui Helvetiis utuntur maxime, exiſtimantes eos cæteris eſſe fideliores.* Laxus braccas. *quia Helvetii laxis braccis utuntur, non prout Galli, Germanive, qui nonniſi ſtrictas adhibent.* Croceusque ruberque. *Veſtes enim Helveticæ non unius panni ſed diverſorum ſolent eſſe colorum. Notandum autem* laxus braccas *eſſe conſtructionem Græcam, pro eo quod dici deberet* laxis braccis.

[10] Pro illi. *Antiquum eſt.*

[11]. *Ubi bibitur* Cafè *vel herba* Thé.

Garrulitas ridenda, sed eſt metuenda, minores,
Quæ ferit & magnos nullo diſcrimine lingua.
Quiſquis nunquam habitat ſecum, ſed ſemper ubique eſt,
Fœnum habet in cornu (12), longe fuge, Fauste: *dicacis*
Fama nocet, nullum ſecretum creditur illi,
Qui plenus rimis ex omni parte fatiſcit.
Sed non tota mali ſumma eſt in vortice linguæ:
Sunt alii, quibus officiunt magis ocia, quique
In peiora ruunt. Vinum, Venus, alea, morum
Et peſtes aliæ teſtes, quæ conficiunt rem
Quamlibet ingentem quatuor, vel quinque (13) Kalendis.
Sed quæ res periit, potis eſt fortuna referre,
Jus habet in corpus nullum. Si decidit ævi
Flos, teriturque vigor vel tota nocte choreas
Quum ducunt, lætumque melos lugente pudore.
Solo, vel dubiis(14)cœnis,vel fornice(15)nigro...
O ramoſa lues Muſæ reticenda pudicæ!
Si vigor his, inquam, tentari cœperit, herbas
Fruſtra contundet (16) Glaphyrus, fuſtraque papyrum
Ambiguam inficiet longa ratione (17) Galenus.
Nec

[12] *Jumentis, quæ efferata in obvios impetum faciunt, fœnum in cornu alligatur, ut eo ſigno præmoniti homines ſibi ab illis caveant.*
[13] *Prima dies cuiusvis menſis dicitur* Kalendæ, *unde hæc vox pro* Menſe *ſumitur.*
[14] *Ubi neſcias, an ab aliquo non depellaris.*
[15] *In domo inhoneſta.*
[16] *Apothecarius.*
[17] *Medicus.* Ambigua *autem* papyrus *dicitur, in quas ſuas rationes, ſeu* Recipe *deſcribunt Me-*

Nec data cera Deos, nec picta tabella movebit,
Qui sæpe indomitam pœna hac fixere iuventam.
Novi ego præclara ditique ex stirpe creatum
Egregium forma juvenem cunctisque beatum
Naturæ donis: pater hunc, licet unicus esset,
Et matre invita dederat formare severo
Nobis imperio: namque ingens spiritus olli
Extulerat vanas & avita superbia cristas.
Impatiens fræni duras traduxit apud nos
Tres, quatuorve hiemes, ut equus, qui carcere clausus
Plura loco ante fugam vestigia figit eodem,
Et robusta premit, mordetque repagula. Tandem
Erupit: finem exspectas metamque laboris?
Ex thermis Pauli (18) quinto post mense mihi fit
Obvius, apprenditque manum, dicitque salutem,
Qua caret ipse: peto nomen; namque ossea dextra,
Et turpes macie vultus, oculique madentes
Imbre putri, vox & tussi interrupta frequenter
Ignotum mî reddiderant. Multo ora pudore
Suffusus, vestris nunquam ô de sedibus, inquit,
Gressum amovissem. *Petimus nocitura, datisque*
Largiter amentes fruimur, lætique venenum
Haustu avido bibimus. Nec plura locutus abivit
Gressu (19) incerto, obiitque diem vix mense peracto.
Hoc tibi de folio recitatum crede Sybillæ (20)
Exemplum. Miseri taceo nomenque genusque;

M Nil

Medici, quia ne ipsi quidem norunt, utrum profutura sint ægris vel ne, quæ ab ipsis commendantur medicamina.

(18) *Ex balneis, quæ ædificaverat L. Æmilius Paulus, cuius nunc nonnisi rudera supersunt.*

(19) *Titubans.*

20) *Sybillæ erant Prophetissæ.*

Nil prodesse tibi, sed multum cetera possunt.
Si noctu vigilare lubet, patet Alphesiboei (21)
Musarumque domus: si forte pericula mavis
Evitare, parant tenebrae quae plura per urbem
Noctivagis, pluteumque tuum librosque recentes,
Quorum non parva est tibi copia, consule solus.
Consule & antiquos, nec profecisse putato
Te quidquam, nisi quae sunt iacta minoribus annis
Semina virtutum recolas, durusque labores
Maturam in frugem deducere, quae nisi canis
Non datur: omnis enim juvenum sapientia flos est
Herbaque (22), quam totam siccus depascitur annus.
Plura forent dictis addenda, sed imminet umbra
Jam maior, currusque vocat, qui te feret Albam (23),
Placat ubi genios in aprico rure soluta
Roma foro & studiis autumno laeta reducto.
Innuit impatiens en virga mulio, eundum est;

FAU-

(21) *Sunt plura Romae literatorum sodalitia, inter quae illud primum obtinet locum, quod nomine* Pastorum Arcadum *insignitur, qui certis diebus in locum designatum convenire solent, ibique doctas recitare lucubrationes. Nomen autem Alphesiboei non proprium est, sed* Arcadicum. *Moris enim est apud illos, pastoralia adsciscere sibi nomina, qualia sunt: Tytyrus, Meliboeus, Corydon, Daphnis, Odenillus &c.*

(22) *Adolescentia significat fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus, aut percipiendis sunt accommodata.* Cat. Maj.

(23) *Alba est civitas non multum distans a Roma, ubi Romani pro diverticulis confluunt.*

FAUSTE, vale: te forte sequar vice (24) functus & ipse
Post aliquot (25) soles. Jucundæ in collibus Albæ,
Aut in (26) Aricino dicam tibi cetera clivo.
Interea recoles, quæ dixi stans pede in uno (27)
Pauca hodie; sed multa satis servare volenti.

SERMO ALTER.

Respondet Jo. B. Guilielmino gentili suo, Castellano Vennensi, qui se ad reditum in patriam solicitaverat. Exponit causas, cur sibi non redeundum putet.

GUILIELMINE, aliis qui æquum ius (1) dicis, iniquum
Mi dicis, remeare iubens ad patria tecta.
Pœnituit rediisse semel. Tibi scire volenti
Causas simpliciter narrabo, pericula primum
Enumerando viæ, dein multa obstacula, quæ mî
Opponit natale solum, prohibetque reverti.
Septembri medio digressus ab Urbe malignum (2) ob
Aera nil prima dormivi nocte, secunda

(24) Vice functus *idem est, quod* officio functus, *scilicet finitis scholarum exercitiis.*
(25) *Post aliquot dies.*
(26) *Aricium est castellum non longe distans ab Alba.*
(27) *Breviter.*
(1) *Castellanorum interest lites dijudicare.*
(2) *Digressis ab Urbe sub finem æstatis ad dimidium usque autumnum putatur mortiferum dormire spatium quadraginta aut quinquaginta millia passuum. Optima sunt remedia vigilia, ignis, suffitus, diæta,*

Turbârunt ſomnum longiſſima iurgia propter
Turdum, quem tulerat ſecum hoſpes, caupo negabat,
Tertia erant nobis gens circumfuſa Canopi (3)
Multa, ſtatura humilis, facie nigra, corpore toto
Fœda, & ſi credis famæ, divina futuri.
Scrutari at loculos melius, quam ſidera nôrunt,
Nemo dormiſſet monſtra inter talia tutus.
At mihi nullus erit finis, ſi dicere noctes
Inſomnesque graveſque velim plenaſque timore.
Nam ternus mihi menſis itu reditque cucurrit,
Reſque novo ſemper gravis eſt decumbere lecto.
Nox tamen una aliis fuit anteferenda, iacebam
Qua ſacco paleis & ſicca fronde referto
Alpibus in mediis (4); quod nempe iacere putarem
Me primum egregio in thalamo ſecurus ab omni
Vermiculo & contage; luem nam ſæpe cubile
Affricat incautis, cogitque exolvere pœnas
Sontis alius At hoc penitus non eſſe ſinebat
Felicem, quod vel leviter quum membra moverem,
Obſtreperent ſiccæ frondes, ſomnumque fragore
Præcipiti excuterent, ſua vulnera forſitan ultæ.
Cui ſunt deliciæ tales, incommoda per Te
Conjice quot tulerit. Miſſis maiora minutis
Perſequar. In pelagum tranquillum mane Liburno (5)
Solvimus exiguam puppim, Thetidemque ſecamus.

Sol

(3) *Natio ab Ægypto oriunda, Tartarorum more vaga, omnia ſecum portans, Cygani.*

(4) *Alpes montes ſunt, quibus Gallia ab Italia ſecernitur.*

(5) *Liburnum Civitas Italiæ in Etruria.*

Sol medium faciebat iter, quum vertere proram
Ad litus (6) Lucenſe Charon (7) iubet, æquore quamvis
Immoto: nautis namque eſt præſaga mali mens.
Flare autem ſenſim Notus incipit. Inſtat anhelis
Navita remigibus; nam longe diſſita nobis
Eſt Via Regia (8). Aquis innaſcitur æſtus, & undæ
Horribili ſtrepitu reſonantia litora pulſant.
Quo propius terris iactamur, eo minus oram
Cernimus, & quoties dorſum ſuperamus aquarum,
Stentorea (9) nautæ conclamant voce vocantes
Auxilium, & manibus geminantes ſigna. Coloni
Litoris accurrunt, contoſque uncoſque ferentes
Ferrataſque ſudes, quæ cœcum intrare canalem
Cymbam adigant dubiam, mediumque tenere; per utrum
Nam latus irruimus certo gens debita letho.
Ergo duas nudorum hominum collabimur inter
Alas: hæc muro ſtat dextero & illa ſiniſtro,
Diſtantem nimis hæc retrahens, nimis illa propinquam
Depulſans cymbam, lumbis tenus utraque collo &
Summerſa interdum. Niſu ingentique labore
Ingreſſi tandem curva deducimur acta (10)

 Inco-

(6) *Luca eſt Metropolis Reipublicæ Lucenſis in Italia.*
(7) *Nauclerus.*
(8) *Oppidulum in ditione Lucenſi, cuius canalem intrant minora navigia.*
(9) Stentor *vir fuit ſupra modum clamoſus; unde* Stentorea vox *ſumitur pro clamore prægrandi.*
(10) Acta *idem quod* littus.

Incolumes, ſed aqua madidi gelidique timore,
Pellimus igne gelu. Interea qui forte ſedebat
In Laribus ſenior, queritur ridetque. Quid hoc eſt
Monſtri, aio? gaudet, dolet uno & tempore. At ille,
Punctus ait Podagra doleo, ſed iam prope ſanus
Gaudeo; namque inſtat ieiuno quarta dies mî,
Et finis podagræ, eſuries cui ſola medetur.
Nos eſt mane ſenex comitatus paſſibus æquis
Ad cymbam, iuſſit multum & ſalvere abeuntes.
Quando laborabis podagra, ieiunia ſerva;
Hinc etenim pedibus mordax ſubducitur humor.
Sed noſtrum repetamus iter, pelagoque ſequamur.
A modico liber maiori occurro periclo.
Nam grandem Ligurum conſcendo in litore pinum
Maſſiliam (11) petiturus. Unelia (12) nocte ſecunda
Nos videt immotos (13), niſi quod verrunt duo remi.
Nocte fere media flare incipit Eurus, & Euro
Vela damus læti, modico ſed tempore; namque
Sævior increſcens turbat cœlumque ſalumque.
Amplius haud vidi niſi ruptos nubibus ignes,
Nil niſi rugitumque maris gemitumque rudentum
Audivi, & clamores terrificos nautarum.
Quantum extra navim ſævirent omnia, fruſtra
Dicere coner. Ab his intellige, quæ miſeri intra
Pertulimus. Modica noſtris cum rebus ad octo
Siſti-

(11) *Maſſilia Civitas maritima Galliæ.*
(12) *Civitas Liguriæ ſub Rege Sardiniæ, Principatus cognominis caput.*
(13) *Ventus enim deerat, qui navim impelleret.*

Siſtimus in cella. Pendens e fune lucerna
Horribili impingit motu ad laquearia, lucemque
Eripit ex oculis. Paries me hic dejicit, illum
Mî ad frontem paries alius collidit, & uno
Volvimur ambo ſolo: multi glomeramur in unum
Rurſus nunc ſurſum iactati, nuncque deorſum.
Hinc onus impellit, plena illinc mercibus arca
Dejicit in morem teſtudinis omnia ubique
Obvia; miſcetur pede pes denſuſque viro vir,
Et ſcamna & lances & vaſa & ahena. Redimus
In chaos antiquum, ſimul & confundimur. Algent
Sparſa maris ſpuma crebraque aſpergine membra,
Inſilit os imber ſalſus nareſque oculoſque:
Nautarum plangor ſociorum & flebile murmur
Terrorem ingeminant, quatiuntque immaniter aures.
Denique mortis adeſt quocunque impellor, imago,
Proque patet tumulo mihi plurimus æquore gurges.
At cui ſæpe datum eſt tumidos compeſcere fluctus,
Atque ſuos Joseph tuto deducere portu
Naufragio abreptos, mihi terque quaterque vocatus,
Adfuit, & nota ſeſe pietate parentem
Monſtravit. Siquidem cum nocte procella reſedit,
Et ſalvos portum Telonis (14) vidit inire
Nos aurora. Adeo volat Euro concita navis;
Nempe plagis Ligurum Telonem quattuor horis (15).

(14) *Portus Galliæ ampliſſimus, ac toto orbe celeberrimus.*

(15) *Emenſum ſcilicet ſpatium* 24. *circiter leucarum, ut dicunt, nempe* 140. *millia paſſuum horis quatuor, aut non multo ſecus.*

At laudabo procul ſemper mare, claſſica, nautas.
Eſt aqua namque mihi contraria. Ab æquore liber
Naufragium paſſus ſum pene minoribus undis.
Primum intentavit furibunda Druentia (16), ſugit
Quæ liquidas Alpes, latoque immergit in alveo
Sæpe ratem improviſa ruens & turbida cœno.
Alterum in Helvetia lacus Altorfenſis, in ampla
Quem trabe cum bobus tranavimus. At niſi velum
Acceleraſſet iter, hominesque boveſque profundo
Trabs inverſa lacu merſiſſet; tanta repente
A fundo latices tempeſtas miſcuit imo.
Jure averſor aquas igitur, diſcoque periclum
Exemplo noſtri quondam evitare catelli.
Is primum egreſſus patrio de ſtramine fontem
Eſſe ſolum ratus, ingreditur; ſed cedere ſenſit
Ut liquidum plantis metuens immergier, auras
Latratu implevit; porrecto fuſte reduxi
Ad ripam. Excuſſis villoſo ab tergore guttis
Allatravit aquæ, denteſque oſtendit acutos,
Grandior & fontes & flumina credidit hoſtes,
Et procul obiurgavit atrox quemcunque fluentem.
Nunc ad iter venio terreſtre. Cadavera vidi
Præteriens Alpes glacie concreta, minaces
In me oculos veluti tendentia, quod nimis audax,
Poſtridie illorum mortem, iuga dira ſubirem
Haud ventos metuens niviumque volumina & iras.
Nam denſo adverſos ferientes turbine vultus
Concluſere animas miſerorum in faucibus imis.
Silvam alibi ingreſſo, quercum hanc, auriga colore
Mutato, vide, ait: graſſator multus heri tres
Ferro hic ſtravit; adhuc madidæ ſunt ſanguine glebæ.

At

(16) *Fluvius Provinciæ Romanorum, Gallice la Durance.*

At me primo aditu in ſilvam, ſtultiſſime rerum,
Iſta mones? Nullum nemus unquam obſcurius iſto,
Horridius nullum vidi. Brevis eſt Arduenna,
Terminus Hercyniæ (17) non ſic protenditur; hora
Infandum nemus hoc quanquam prætervehor una.
Sed quibus in ſilva tres non occurrimus, unus
In patulo occurri ſævis latronibus agro.
Non procul a Dola gradienti in equo mihi bini
Obveniunt pedites, hic canus, ſubniger ille.
Torvus uterque oculiſq; minax. Tum, quo via ducit
Hæc? aiunt. Dolam (18). Nobis tecto capite? inquit
Junior, aſſiliunt & utrinque. Pericula fortes
Therſitas (19) faciunt quandoque. Cito omnia tenſa
Fræna manu immittens ferio calcaribus armos.
Dejicit hunc equus atque illum, panditque viam vi,
Et velut admonitus communis utrique ſalutis
Ocior alitibus celeri volat ocior Euro,
Meque probris fures fremituque ſequuntur inani.
Sed ne forte putes Æneæ me, vel Ulyſſis (20)

 Velle

(17) *Arduenna in Gallia, Hercynia in Germania ingentes ſylvæ.*

(18) *Reſpondit Auctor.*

(19) *Narrat Homerus in Iliade Therſiten claudum & imbellem viribus ab Ulyſſe ob nimiam garrulitatem plagis affectum fuiſſe.*

(20) *Ulyſſes Ithacæ (quæ eſt inſula in Archipelago) Rex, poſt decennalem Troiæ obſidionem variis altero decennio caſibus terra marique iactatus eſt; antequam in patriam reverteretur. Æneas Troianus, cum cladem, quæ reliquos concives affecerat, cum paucis evaſiſſet, plura item ſuſtinuit incommoda, antequam littora Italiæ attigiſſet. Huius moleſtias enarrat Virgilius in Æneide, illius Homerus in Iliade.*

Velle pares casus totidemque referre labores,
Cetera prætereo, maiora & vera loquutus.
Dic mihi nunc, cur non post vincla, ergastula, remos;
Hoc quoque supplicio sontes damnantur, ut errent
Per maria & terras? Fraterna cæde cruentum
Primum errare hominem iussit, longeque vagari
Justitiæ exemplar primævæ Conditor orbis. (21)
Cur non in vestro est scripta hæc quoque Codice pœna?
Quidquid id est, præstat in sede morarier una.
Quæ a vobis bona, forte malis peiora, recepi,
Jam loquar: icciro ne ingratum crede: recordor
Quæ mihi Tu, reliqui quæ sanguine iuncti & amici
Officia exhibuistis. At ut Sophos ille monet; Ne
Quid nimis. An modicas mihi cœnas ipse parasti?
An modicas alii? Consvetum vivere parvo
Vestræ accumbentem plus æquo tempore mensæ
Tædebat, mihi nec quanquam humanissimus hospes
Tædia pellebat, nec doctus sermo, nec ode
Mista frequens. Ita fastidimus cuncta coacti.
Nec satis hoc. Gustare novas post fercula plura
Multi svadebant epulas, nec grandia multi
Pocula spernebant, nec multa, iterumque iterumque
Mîq; meisq; propinantes. Quid vina Polycni (22)
Sequanicæq; (23) dapes saturo potoque decenter?
Plus sapiunt, quam nos, animalia muta; comedit
Quum

(21) *Vagus & profugus eris super terram. Genes.* 14.

(22) *Vinum* Polycnum *seu Polyniacum Galliæ præstantissimum.*

(23) *Sequana fluvius Parisios Metropolim Regni Galliæ præterfluit: Unde* Sequanicæ dapes *pro* luxu *accipiuntur, cum Galli in epulis modum excedere amant.*

Quum satis, & potavit equus, potumque cibumque
Præbe, haud illecebris, haud virga sumere coges.
Adde istuc: hodie cœnavi lautus apud Te:
Cras, inquit conviva alius, cœnabis apud me.
Inde alii Lunæque diem Martisque Jovisque
Ordine distribuunt. Ego denique semper opimo
Semper in omni epulo conversor Apicius (24) alter
Invitatori si forte venire recuso
Nec diverticulo satis apto callidus utor,
Dicor inurbanus, Clochis præpono Rinaldos (25):
Atque ita me urbanus neco. Sanus enim nequit ullus
Esse diu conviva, frui nec munere vitæ.
Præterea incusant multis materque sororque
Tam sæpe absentem; Cur, aiunt, ergo redisti,
Si matremque domumque fugis, nec cura tuarum
Ulla tibi est? Tantum a nobis hoc tempore distas,
Quantum distabas trans longinquissimus Alpes.
Solicitæ abscondunt vestes exire paranti
Nec reddunt, nisi me rediturum ad prandia secum
Pollicear, dextraque data contester. At eheu!
Illabor miser in Scyllam vitando Charybdim (26),
Namque domum rediens aliquo comitatus amico
Convivas alios me non prudente (27) vocatos
Invenio. Totas urbani moris habenas
Hic laxare opus est, comitesque præire bibendo:
Parcus enim hospitibus gravis est, & sobrius hospes.
At

(24) *Comessator & potator ex antiquis famosissimus.*
(25) *Clochus splendidus & alacer, Rinaldus morosus & inurbanus, hospitum exceptores.*
(26) *Gurgites in mari mediterraneo ad littora Africæ, ubi naves approximantes rapiuntur & demerguntur.*
(27) *Me inscio.*

At ſolum me finge domi, ſoloque meorum
In comitatu. Omnes circumſtant me, ſtudioque
Occidunt nimio. Vis hoc? ait ille, vel illud?
Hæc: heu tuſſit: hiems noſtro eſt magis aſpera cœlo,
Quam quo ſuevit; eget medico, medicum euge, vocato.
Illa nihil ſatagit præter mea; net, ſuit uni,
Currit, obit, luſtrat, credit me ſemper egere
Multis; nunquam ideo venit ad me dextera inani.
Quodque eſt ridendum, flet, ſi ſua negligo dona.
Quæ iam narravi bis terque, repoſcit & urget
Moroſum, gaudetque iterum ſpectare minutim
Rerum adiuncta parens, & cuncta pericula nôſſe.
Horret & interdum veluti præſentia; cumque
Me videt hiſcentem: non nôſti viſcera matrum,
Inquit, nec potis es naturam vincere. Perge;
Namque ſuas lacrimas, ſua habet lamenta voluptas.
Pergere mandatum cogit, reverentia ſenſum
Diſſimulare animi non mollia ferre potentis.
Eſſe odio miſerum eſt, miſerum eſt vehementer amari.
Nemo ad vos redeat tam forti pectore demum,
Quem veſtræ non deliciæ, non gaudia frangant.
Captatis fidibus variis & cantibus aures,
Lumina munditie nitida lariumque hominumque,
Et vultu ſincero animos & pectore puro,
Officiis pleni certatim atque ubere dono.
Cum me illuc revocas, ſi rem bene pendis, amice.
Mergere vis vel aquis miſerum, vel perdere luxu.
Ergo mentem alio converte. Nihil mihi amœna
De valle, & lætis Ruſſei (28) collibus, aut de
Chryſopoli (29) templis & magnis ædibus aucta;
Nil

(28) *Patria Auctoris.*
(29) Veſuntio *Galliæ urbs antiquis* Chryſopolis

Nil nisi de veſtris reſcribito rebus, ut hamo hoc
In patriam retrahas: etenim piſcabere fruſtra.
Eſſe volunt inter nos Alpes fata. Valete &
Eſte mei memores, ut veſtri ſum memor uſque
Sum memor atque viæ infinitorumque laborum.

SERMO TERTIVS.

Artemidorum indocilis animi arguit, idque ingens eſſe malum demonſtrat. Loquacitatem & ſcurrilitatem reprehendit. Superbiam maximo literis diſcendis impedimento eſſe oſtendit. Docile ingenium perſpicaci præponit.

Ulterius tecum non diſſimulabo; nocerem
Namque tibi rebuſque tuis nimis. ARTEMIDORE,
Si mea te longo patientia tempore ferret.
Dementes ſumus ambo; ego qui te recta docere
Nitor; tu qui me ſcis plura, meamque cathedram
Cum his rudibus circumſtas. At rudis hic, rudis ille.
Quos rudior ſpernis, faciunt quandoque Minerva (1)
Digna, tuum vidi nil unquam mercule (2) dignum,
ARTEMIDORE, manus poſt longum tempus inanes (3)
Sunt, vacuumque tibi caput; & quod me magis angit,
Stabit ſemper idem tibi cum manibus caput isdem
Nam

dicta, quod huius urbis portas puro quondam auro contectas fuiſſe conſtat. *Geor. Bruin de Urbibus.*

(1) *Dea ſtudiorum.*

(2) *Pro* me hercule.

(3) *Non liber, non charta, non pluma unquam in manibus.*

Nam non es docilis. Vitium autem hoc in iuvene ingens
Et lethale malum est, quod idonea vivere (4) mactat,
Fruges pessundat præsentes spemque futuri.
Nostra patet pridem tibi ianua, abito, vel audi
Demissis tandem cristis animoque superbo,
Quæ sanam valeant furioso reddere mentem.
Virus ubi sceleris tellus exterrita primi
Sensit, mutari sensit quoque semina frugum in
Noxia (5): nec præter lolium, tribulos, paliuros,
Sponte tulit quidquam. Magni stetit herba salubris,
Nec sine collecta est duro seges ulla labore.
Ipso hoc imbutum peperit te terra veneno.
Semina noscendi si unquam tibi certa fuissent, (6)
Degeneraverunt non tam, ARTEMIDORE parentum
Culpa, quam gestas quo turgida pectora, fastu.
En prope lustra tibi quatuor fluxere, sciendi
Quæ monumenta mihi monstras, quæ signa politi
Ingenii? Num sermonem (7), qui plurimus ore
Exit ubique tibi concedenti omnia linguæ,
Nil limæ, nulla ratione puerne senexne,
Vel plebs vel proceres adstent, vel fœmina vel vir?
Hoc

(4) *Mactat illa, quæ sunt apta ad vivendum.*

(5) *Patres aliqui, & præcipue Ven. Beda, censuerunt, ante peccatum Adæ nullum animal fuisse venenatum, nullam herbam noxiam.*

(6) *Contendunt nonnulli Philosophi, habere nos ideas rerum innatas & semina scientiarum, quæ studio aluntur, & maturescunt.* Discere enim nihil aliud est, quam recordari. 1. *Tusc.* & *de Senect.*

(7) *Num pro monumento politi ingenii monstras sermonem?*

Hoc ſi ſcire tuum eſt, vincit te pſittacus. Ille
Non etenim cudit nova verba, fideliter hæret
Syntaxi, noſcitqne ſuum, vocitatque magiſtrum,
Et quæ ſe docuit, recitat, metuitque quid ultra
Addere: nam nobis loqueretur America (8) verba.
Ceterum ei nullum eſt hominum diſcrimen; uti tu,
Tam populo coram, tam magno principe garrit.
Scis homines ſimulare, tonos ſcis reddere vocum,
Cumque modis geſtus, inceſſum. Non reor unum
Eſſe hominem, quum te video, ſed ſiſtere coram
Me puto blæſorum monſtroſorumque catervam.
Nunc mihi fœminea reſonas, nunc voce virili,
Nunc nullam profers toto ſermone caninam
Literam (9), eam profers duplicem nunc eſt ubi ſimplex:
Nunc planum fingis mentum, nunc, fingis acutum.
Es modo gibboſus, modo cocles, vel modo claudus (10).
Quid non es? Maculas naturæ colligis omnes
Ut ſcarabeus, ineſt quod forte bonumque relinquis.
Hic quoque brutum aliud te vincit. Simia nam non
Sola refert hominum vitia, aut informia membra.
Quod ſanum objicitur, quod rectum, imitatur; in armis
Stat, ducit choreas, præſentes ore ſalutat
Compoſito urbane, reveretur corpore flexo,
Atque

(8) *Quibus barbari Americani loquuntur, quæ nos non intelligimus*

(9) *Literam* r, *quam non pronuntiant blæſi, & qui eos mimice repræſentant.*

(10) *Similis illi ſcurræ, qui mores aliorum tam inepto geſtu exprimit, ut cum alios irrideat, ipſe omnibus ſit ridiculus.* Ariſt. *Eſt proprium ſtultitiæ aliorum vitia cernere, ſuorum oblivi-ſci.* 3. Tuſc.

Atque graves simulat se gestu expromere sensus.
 Si quem oratorem, si quem tu forte poëtam
Audisti, friget cum versu oratio, stultam
Nil vitat criticen. Humilis Maro, Tullius uber
Plus æquo, tenebris offusus Horatius. Ergo
Carmina percipies hæc nostra facillima. Rapum
Est tibi pro cerebro & ventosa cucurbita, proque
Consilio priscis Dea quædam (11) culta Latinis,
Cui multo elleboro liquidaque litatur oriza.
 Sed quid ego aiebam? mea me sententia fallit.
Est dignum risu, quod de te huc diximus usque.
Quod superest, iram quocunque in pectore pleno
Phlegmate (12) commoveat. Non tu vesanus es, illa aut
Simplicitate animi, qua lævo sidere natos
Ridemus ferimusque, & quando negocia cessant,
Illorum alloquiis gaudemus, poscere amamus
Respondere bonos præpostera quæque. Mamilla
Sed tibi sub læva quiddam salit (13); haud tibi acumen
Mentis abest, imo nimis est subtile: penetrat
Nam crassam raro tam elata superbia frontem (14).
 Dicis ut absurdum, atque a vero turpiter erras,
Si quis vel ridet, vel corripit impatiens; os
Purpura suffundit subito tibi multa. Pudorem,
Qui longe est omnes pulcherrimus ante colores;
Crederet esse, fores cui non sat notus; at ira est,
Est furor; absurdum nam absurdis pluribus urges,
Ulla nec est hominis tibi, nec reverentia veri.
Turpius est quidquam, quid iniquius? Ultro doceris,

„ E

(11) *Moria sive stultitia.*
(12) *Phlegmatici enim prout ad omnia, sic ad iram sunt tardissimi.*
(13) *Habes cor.*
(14) *Stulti non superbiunt.*

Et nescire pudens prave, quam discere mavis. (15)
Te coram voces sociis viresque loquendi
Desunt: dicit enim quisquis quodcunque, refellis, (16)
Aut mussas, donec quod habes, opponere contra
Posceris: opponis subito pugnantia secum;
Si quid & effaris rectum usquam, protinus utris
More tumes pleni. Tibi enim solum est cacoëthes
Te ostentare, oculos cunctorum & vertere in unum.
Vertimus, Artemidore, sed ut vertisse solemus,
Quum monstrant hominem bino cum corpore & uno
Vertice, vel quatuor manibus, vel duplice naso.
Denique te ut monstrum aspicimus, cui humana figura est
Exterius formosa, atque omnibus integra membris.
Sed pars illa Deo similis, mens conscia veri,
Quæ facit una hominem, pars in te perdidit illa,
Artemidore, decus, meliorem perdidit in te
Dotem animi; curva est, enormis, proxima brutis.
Finge animo durum ingenium, rude, debile, nullum,
Sit tamen id docile; una plus edifcet in hora,
Integro quam tu, sapiens stultissime, lustro (17).
Aures præbebit, quod non capiet, sibi rursus
Comiter urgebit repeti, summittet honestam
Frontem, servabit demum alta silentia: nullum est

N Cla-

(15) Horat. *in Art. Poet.*
(16) *Cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii multo molestissima.* Cic. in Verr.
(17) *Lustrum est spatium quinque annorum.*

Clarius indicium Juvenis gnarique bonique
At finge illud idem magnum, perlucidum, acutum,
Sed fræni impatiens ſtimulique; malum artibus omen,
Moribus & peius dico, ARTEMIDORE. Fuerunt
Indocti omnes indociles, vitiiſque notati,
Si libet ergo hodie pactum ſtatuemus utrinq;;
Aut mihi parebis nil præter juſta jubenti,
Aut ad te verbum dicam non amplius ullum.

FINIS PARTIS SECVNDÆ.





INDEX
EORVM, QVÆ IN SECVNDA PARTE CONTINENTVR.

EX LIVIO.

EX MVRETO.

EPISTOLÆ EJVSDEM.

EPISTOLÆ PETRI BEMBI.

Ad

EPISTOLÆ C. PLINII CÆCILII.

EX M. T. CICERONE.

EJVSDEM EPISTOLÆ FAMILIARES.

EX VALERIO MAXIMO.

SERMONES BERNARDI GVILIELMINI.



ERRATA.

Pag.	verſ.	
4.	24.	Angur *lege* Augur,
7.	18.	inſit *lege* inquit
21.	31.	fruſtantur *lege* fruſtrantur.
27.	13.	ceiſſit *lege* ceſſit
45,	22.	ſignicabant *lege* ſignificabant.
67.	26.	actoritate *lege* auctotitate
69,	2.	nane *lege* nonne.
89.	4.	generorum *lege* generoſorum.
96.	34.	Calamltoſi *lege* Calamitoſi
101.	4.	Terrius *lege* Tertius
122,	25.	juncunda *lege* jucunda
ibid.	27.	Conſtiutam *lege* Conſtitutam.



